R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
16
NAPOLI

Digitized by Google

Racc. Villarosa B. 16

Digitized by Google

Digitized by Google

RAYMUNDI CUNICHII

RAGUSINI

EPIGRAMMATA

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA.

RAGUSII

TYPIS ANTONII MARTECCHINI.

MDCCCXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad Clarissimum Virum

RAYMUNDUM CUNICHIUM

jampridem vita functum

RAPHAEL RADEGLIA.

Nil tibi ego potui vivo dare; do tua formis
Impressa extincto carmina Palladiis.
O utinam tali dono laetere! juvet te
O utinam hòc campis me loqui in Elysiis!

Digitized by Google

EPIGRAMMATA

SACRA . . . . . Pag. 1
VOTIVA 21
MORALIA 29
ENCOMIASTICA 67
SATYRICA 159
LUDICRA 209
VARIA 241
SEPULCRALIA, ET LUGUBRIA . . 265
AD LYDAM, LYDÆQUE FAMILIAM . 291

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

EPIGRAMMATA SACRA.

I.

Ad Puerum Jesum.

Stramineum, formose puer, jam linque cubile,
Linque istaec saevo frigida tecta gelu;
Hospitium et quando Bethle tibi dura negavit,
Huc veniens nostro te citus abde sinu.
Quid loquor? hic sinus est heu! stramine vilior ipso,
Hic sinus est ipsa frigidior glacie.
Huc tamen, huc, puer alme, veni; si veneris, esse
Nec vilis, nec jam frigidus incipiet.

II.

Poeta Jesu Puero se ipsum.

Dona ferunt Reges tibi ditia: dic, puer, a me,
Cui nihil est, ferri quae tibi dona velis.
Me tibi vis ipsum: do, quod vis; nec meus esse,
Care puer, jam nunc sed tuus incipio.

III.

Pueri Jesu Puero Carmina.

Ut tibi thura duces, myrrhamque, aurumque Sabaei,
Utque dedit niveo de grege pastor ovem,
Sic pueri, doctis pubes operata Camoenis,
Haec tibi, sancte puer, carmina culta damus.
Nec metus est, spernas ne carmina; laeta dedere
Ipsi vix nato carmina Caelicolae.

IV.

Jesus Puer Deus fortis.

Qui jacet algenti puer hic tremebundus in antro,
Et molles tristi flens rigat imbre genas,
Bella tamen fortis gerit, horrida bella, Draconis
Et Stygii parvo sub pede colla premit.
Ipso quin pugnat fletu: nullisque virorum
Vinci quae poterant ferrea corda minis,
Nunc miti vultu, et pulcris bellator ocellis
Incipit et blandis vincere lacrymulis.

V.

De Jesu in antro Bethlaeo jacente.

Antra polo tenet ecce puer demissus ab alto,
Horrida, contemptis urbibus, antra colit.
Nec piget hic brumae ventos perferre nivales,
Parva nec adstricto membra rigere gelu;
Nec pudet hic pecudes inter sibi figere sedem,
Nudum et straminco decubuisse toro,

Digitized by Google

Sic docet exemplo, praestet quo vivere pacto;
Et caeli ad culmen quae via certa ferat,
Sic docet. In ventos abeunt praecepta! magistrum
Indociles prava spernere mente juvat.
Heu miseri, clamo, miseri quò tendimus? una est
Ad caeli sedes, qua praeit ille, via.

VI.

In Imaginem Pueri Jesu, cor inflammatum in pectore, catenam in manibus gerentis.

A. Quis puer hic? B. Jesus. A. Quid flamma in pectore (gliscens?
B. Ardet inextincto plenus amore sinum.
A. Cur dextram tendit? blandis quid poscit ocellis?
B. Corda sibi turba vult ab amante dari.
A. Illa catena sibi quid vult? B. Parat aurea cordi
Vincula, non ulla dissolüenda die.

VII.

Ad Reges Sabaeos.

Eoi Reges, laeti procedite, sidus
Quò jubet; a patria jam procul ite domo;
Nec grave sit solium, nec regia linquere sceptra;
Et natum externo quaerere in orbe ducem;
Illius et genibus sterni ad cunabula flexis,
Illius et dulci colla jugo inserere.
Felices! subdet vos quo sibi scilicet ille,
Sceptra praeit longè regia servitium.

Digitized by Google

VIII.

Ad Dei Filium cruci affixum.

Ista quis inflixit saevus tibi vulnera? parce,
Parce loqui: nosco jam satis auctor opus.

IX.

Ad Eundem.

Nate Deo, pendes probroso in stipite; sanguis
Membra rigat; totum vulnera corpus habet.
Hoc opus omne meum est: insons crudelia tu fers,
Quae mihi erant sonti debita, supplicia.

X.

Inferorum terror in Christi morte.

Ille, mala primos qui lusit fraude parentes,
Ille Draco, humani pernicies generis,
Vidit ubi a gemino pendentem stipite Regem
Caelicolûm, et laceris artubus exanimem, (atque
Infrendensque, gemensque, heu! heu! jam vincimur,
Terrarum e veteri pellimur imperio.
Sic ait, et fugiens cum luctisono ululatu
Undas praecipitem se dedit in Stygias.

XI.

Crux Domini.

Quae fueram quondam poenis addicta nocentûm,
Probrum ingens, foedi nomen et opprobrii,

Quàm melior nunc facta color; quà maximus orbis
  Et patet, haud ullus jam mihi defit honos!
Et mea belligerae sectantur signa phalanges,
  Et me regalis dextra, caputque gerit.
Quid ni, divino quae sum perfusa cruore,
  Nullis non longè praeferar arboribus?
Et caeli merear suprema in sede locata
  Stare ipsos inter fulgida Caelicolas?

XII.

De SS. Eucharistiae Sacramento.

Huc ades, o quicumque pius, tibi namque paratur
  Dives caelesti mensa beata dape.
Exigit haec animo curas, durumque laborem,
  Et malè pressa gravi pondere corda levat.
Haec totum complet mira dulcedine pectus,
  Et bona fert verae gaudia laetitiae.
Hinc vigor est menti, mores hinc caelite digni,
  Vitaque, divinum quae decet, illa, genus.
Quidvis opta; aberit rerum pars nulla bonarum
  Nacto fontem, ipsum profluet unde bonum.

XIII.

In idem argumentum.

Ite procul, moneo; procul hinc abscedite, clamo,
  Queis tacitum objectant conscia corda nefas.
Ponitur haud ulli mensa haec tangenda nocentum,
  Dives caelesti mensa beata dape.
Ipse Deus parva nivei sub imagine crusti,
  Sub vini facie conditur ipse Deus.

Clamo iterum: sontes abscedite; triste paratur,
Si veniant, moneo, sontibus exitium.
Heu miseri, quibus ipsa infert medicina venenum!
Heu miseri, ipsa quibus vita fit interitus!

XIV.

SS. Cor Jesu perfugium ad omnes casus.

Usque novos Erebi moveat rex ille tumultus,
Et vafer e Stygio concitet usque lacu
Obscenas Fraudum facies, caecumque Furorem,
Horrentesque atris anguibus Eumenidas;
Nil aget infelix praedo: metus omnis abesto;
Jesu Cor dulci me teget in latebra.

XV.

Ad Virginem sine labe conceptam.

Quae te, Virgo, dies conceptam vidit, Olympum
Complevit diae lumine laetitiae,
Complevit terram, terraeque abstrusa piorum
Illa tot in tenebris agmina sancta patrum;
At foedum nigri regem tremefecit Averni,
Imum qui se se condidit in barathrum, (quidquam
Infrendensque, ululansque horrendùm; adspergere
Nec tibi speravit posse vafer maculae.
Salve, o spes Mundi, salve Orci terror, et ipso
Jam nunc digna, olim es quem paritura, Deo,

XVI.

De die Natali Beatae Mariae Virginis.

Nascitur Isacidûm clara de gente puella,
Illa ingens magni Numinis illa parens;
Illa oriens Aurora, diem quae proferet almum,
Et latè offusas discutiet tenebras;
Illa hominum generi pacem et latura salutem:
Haeva parens, culpae desine damna queri;
Qui tibi porrexit pomum fatale, Draconis
Tartarei dirum conteret illa caput.

XVII.

In idem argumentum.

Vitales prodit virgo Jessaea sub auras,
Illa, Deum puro quae feret alma sinu.
Gaude hominum foedè nigris gens mersa tenebris;
Surgit io! multa luce serena dies.
Aurora exoritur: jam pleno lumine caeli
Sol quoque ab astriferis sedibus exiliet.

XVIII.

Ad Tartareum Serpentem de Ortu B. Mariae V.

Saeve, quid exultas, Coluber, felicibus hortis
Est quod pulsa tuo femina prima dolo?
Quod miserae afflâsti virus lethale, per omnem
Quod se se posset fundere progeniem?
Vana tumes: oritur Jessaea e gente puella,
Uni cui fraudes nil nocuere tuae;

Una tuos ausus quae ridet; dira frementis
Et pede virgineo conteret una caput.

XIX.

De Purificatione Beatae Mariae Virginis.

Siste gradum, vulgo matrum nec te insere, Virgo;
Virgineos partus februa nulla decent.
Quid loquor? in medias dat se; nec casta videri
Ante alias omnes, casta sed esse cupit.

XX.

De Festo S. Mariae ad Nives.

Dum stella insani multo furit igne Leonis,
Et gravis arentes aestus hiulcat agros,
Puram, Virgo, nivem caelo demittis, et, aedes
Sacra Deo qua sit parte locanda, mones.
O utinam haec referas hodie portenta; juventae
O utinam hòc nimio, qui calet igne, sinus
Virgineoque nives aequet candore, Deoque
Praestet mansuram tempus in omne domum!

XXI.

Ad Virginem Dei Matrem cultam in Esquiliis.

Diva, meo cujus tollunt se adversa cubili
Et turre, et gemino templa superba tholo;
Templa nivis missu Sextili mense cadentis
Quae tibi sunt celsis condita in Esquiliis;
Da, quoties istuc prospexi, frigidulum cor
Mi toties dulci flagret amore tui.

Ut Kostka, hinc istam quoties prospexerat aedem,
Flagrabat dulci totus amore tui.

XXII.

De Mense Majo Virgini sacro.

Majus flore novo redimitus, quem sibi Virgo
Mensem prae cunctis vindicat alma, venit.
Ferte rosas, pueri, certatim serta paremus
Florea, virgineas implicitura comas.
Serta sed haec parvo languent heu! tempore: primo
Mane vigent, sero vespere lapsa jacent.
Ergo aliis virtus addatur floribus; una
Virtus fit longa pulcrior usque die.
Hanc amat, hanc sertis, hanc ipsis praeferet illa,
Quae gerit ambrosio vertice, sideribus.

XXIII.

Stabat juxta Crucem Mater ejus.
= *Stantem lego, flentem non lego* =
S. AUGUST.

Stabat moesta parens luctu cor saucia, gnatum
Cernens probroso in robore semianimem.
Stabat, celsa velut stans rupes obvia ventis,
Spumea quam vasti verberat unda maris;
Stabat, nec gemitus audita est fundere tristes,
Nec visa est molles fundere lacrymulas;
Quippe dolor penitus gliscebat pectore in imo,
Abdita ceu rapidis flamma voluminibus
Convolvit se se vasta in fornace, nec usquam
Rima est, qua se se proferat, ac vacuas

Objicibus ruptis undantem effundat in auras;
Sed circum duris irrita parietibus
Luctatur, caecoque immugit murmure frustra.
Diva utinam flèsses, atque iterum atque iterum
Isset materno singultus ab ore! gemitque
Fletque levis moeror: mole ubi luctificus
Incubuit dolor ingenti, silet anxia cura,
Nec gemitu, et moestis fletibus egeritur.

XXIV.

Virginis patrocinium imploratur siccitatis tempore.

Aret ager, tellus latè morientibus herbis
Non homini, non fert pabula grata gregi.
Diva parens, huc verte oculos; jam cuncta virebunt;
Grata homini surgent pabula, grata gregi.
Pro tristi gemitu, pro luctisono ululatu
Laeta tuis passim laudibus aura fremet.

XXV.

In idem argumentum.

Diva potens, caeli cui parent nubila, venti,
Largus et arentem qui rigat imber humum,
Tellurem effusus duram si molliet imber,
Uda queant validi findere ut arva boves,
Nos tibi primitias pleno de rure feremus,
Atque tuae dabimus spicea serta comae.
Pagus et unà omnis clamabimus: optima Virgo,
Res nobis dono est vitaque salva tuo.

XXVI.

In idem argumentum.

Veris opes ubi nunc? ubi dives copia florum,
Et nova foecundis germina in arboribus?
Gramen ubi, et laetae segetes lactentibus herbis?
Et quidquid miseri spem fovet agricolae?
Virgo potens, caeli cui parent nubila, venti,
Jussus et effusa depluit imber aqua,
Tu faciles huc flecte oculos; tu cuncta potenti
In melius nutu vertere, Diva, soles.
Jam tibi servati certatim dona feremus,
Reddemus laeti jam tua dona tibi,
Vere novo flores, flavos aestate maniplos,
Autumno larga dulcia poma manu.

XXVII.

De Virginis Imagine,
Italicè dictae: Dell' Orto.

Hospes, quam cernis, divinae matris imago
Hortorum septis abdita delitui,
Phyllis ubi, aut Alcon verno mihi flore solebant,
Aut viridi sanctum cingere fronde caput.
Nunc templo regina color, fulvamque coronam,
Venit Romulea quae mihi ab urbe, gero.
Scilicet id merui benefactis (plurima testor
Haec aram circum pendula vota meam);
At nunc largibor majoraque, pluraque; crescit
Quam cultus, mea tam crescere dona solent,

XXVIII.

Deiparae Parthenius Pubem.

Hanc tibi, Castalii fontis quam ducit ad undam,
Virgo dicat pubem candida Parthenius.
Tu face, Pierios puro bibat amne liquores,
Discat et Aoniis fundere verba modis.
Munere docta tuo tibi serviet illa; diserto
Certabit laudes dicere et ore tuas.

XXIX.

De Sancto Josepho.

Caelicolas inter multa qui clarus Ioseph
Luce nitet sponsae proximus ille suae,
Quae gnato subnixa suo, regina potenti
Sublimis gestat regia sceptra manu,
Ille venit, venit ille suos visurus honores;
Jam facili praesens audiet aure preces.

XXX.

De S. Joannis Baptistae martyrio.

Heu! heu regalis laeta inter fercula mensae
Demessum saevo ponitur ense caput!
Ponitur, incestae merces promissa puellae,
Quo nullum est toto sanctius orbe, caput!
Quod postquam inferri vidit, credo, ipse Cupido,
Qui malus horrendum suaserat heu! facinus,
Intremuitque horrore artus, avertit et ora,
Nec potuit totis non rubuisse genis.

XXXI.

Ad S. Franciscum Xaverium ad Indos proficiscentem.

I procul aequoreas, Xaveri magne, per undas,
Eoi quà te litoris ora vocat;
I felix, i; carpe viam per caerula, quò te
Rex Superûm forti provehit ipse manu.
Tempus adest lucem populis inferre beatam,
Quos premit heu! diris horrida nox tenebris.
Adventu se cuncta tuo jam vertere cerno
In melius; noxae diffugit omne genus,
Foeda jacent simulacra solo prostrata, nec usquam
Monstra Deùm quisquam thure, merove colit.
Alma Fides tecum curru fulgente triumphet,
Virtutum gaudet cui comes ire chorus.

XXXII.

De S. Aloysio Gonzaga inter voluptatis illecebras integerrimo.

Sirenum infames scopulos, squallentia semper
Nautarum ejectis litora funeribus,
Olim Ithacus tereti constrictus brachia malo
Quòd potuit salva praeteriisse rate,
Mirarer; si non mirer magis, inter inanes
Lusus, atque levi plena theatra joco,
Regales inter mensas, pompasque, chorosque,
Omnigenasque aulae divitis illecebras,
Gonzagam intacti servantem jura pudoris
Indelibata virginitate frui.

Digitized by Google

XXXIII.

De Ejusdem virginali candore.

Florentes Mincî ad ripas dum fortè vagatur,
Vidit Amor pulcrum surgere liliolum;
Captus et eximii floris candore nivali
Festinat cupida carpere velle manu;
Nactus at hirsutis vallatum sentibus, ad se
Frustratus cupidam rettulit inde manum.

XXXIV.

De Eodem, puellae umbram osculari jusso.

Jussa puellari puer oscula quod negat umbrae,
Seque cita Lodoix proripit inde fuga,
Admonet exemplo contra tua tela, Cupido,
Unam pro clypeis omnibus esse fugam.

XXXV.

De Eodem ad Pueros.

Huc agite, o pueri, cura certemus et acri,
Magnum quis meliùs pingat Aloysium.
Non opus hìc tabula nobis, varioque colore;
Nunc alio pingi se jubet ille modo.
Nos sibi vult similés et mente, et corpore: viva
Haec mihi prae cunctis, clamat, imago placet.

XXXVI.

Eidem Poeta Adolescentes.

Hanc tibi vernantem primaevo flore juventam
Do, Gonzaga, tuos atque dico ad cineres:
Tu bonus, o, servaque omnes, dextraque potenti
Et rege, et omnigenis affice muneribus.
Da docile ingenium, da vitam, sancte, pudicam,
Cordaque nullius conscia flagitii;
Da, tibi quos sacro, videam post tempore parvo
Esse tibi et vultu, et moribus assimiles.

XXXVII.

De S. Stanislao Kostka,
depicto in hortis Tyrocinii Romani
Soc. Jesu.

Hospes, quae lustras, florentia septa colebat
Kostka olim, aetherio plenus amore puer.
Hic sedit fontem ad gelidum flammata beato
Igne fovens udo pectora linteolo,
Indomitus si fortè aliquà mitesceret ardor,
Nec totum in flammas verteret, ac cinerem;
Quae, facti famam ne longa obliteret aetas,
Adverso pulcrè in pariete cuncta vides.
Sed vidisse modò quid prosit? quo puer arsit,
Posce, tuos etiam compleat igne sinus.

Digitized by Google

XXXVIII.

Ad S. Camillum de Lellis, olim in Lycaeo Collegii Romani auditorem.

Qui linguae hìc, Leli, coepisti elementa Latinae
Discere, septenas natus olympiades,
Nec puduit teneramque inter considere turbam,
Jussaque cum pueris reddere pensa virum,
Paullatim ingenuas excultus rite per artes,
Humanum ut posses rite juvare genus:
Tu face, ut haec, eadem celebrat quae septa Lycaei
Trita tuo quondam tecta beata pede,
Qualis eras, talis non abnuat esse juventus,
Praebeat et se se morigeram et docilem,
Literulas vano laudis nec discat amore,
Docta sed humano consulat ut generi.

XXXIX.

Ad Adolescentes bellè dicendi studiosos de S. Joanne Nepomuceno.

Admoto cernis digito quem labra prementem,
Rex tumido insanas dum tonat ore minas,
Nempe audita silet, nec mortem, nec sibi quidquid
Durum morte magis comparat ira, timet.
Ergo viro, sacri merces praeclara silentì
Cingunt fulgidulum sidera clara caput.
Quae bene posse loqui, pubes, tibi scilicet optas,
Opta isto potiùs posse tacere modo.

Digitized by Google

XL.

Maria Magdalene de se ipsa.

Picta genas, ferro vibratos compta capillos,
Et laxos auro conspicienda sinus,
Deceptis vanae captisque cupidine formae
Magdala (quod nollem) terrigenis placui.
Nunc pallens, atra macie consumpta, solutam
Hirta comam, laceris vestibus horridula,
Vix parva eximiae servans vestigia formae,
(Quod laetor) magnis Caelitibus placeo.

XLI.

Sancta Agnes flammae imposita.

Flamma furit subter: stat virgo immota supernè,
Et siccas gaudens tollit ad astra genas,
Ore, oculis, habitu, manibus propè saxea dicens:
Rex Superàm, pro te quàm mihi dulce pati!

XLII.

Ad Sanctam Agnetem.

O praestans animi virgo, quam flectere nullae
Blanditiae, tristes nec potuere minae;
Horrenda quamvis instaret voce Tyrannus
Ora tumens, torvos igne micans oculos;
Adstaret lateri quamvis jam tortor, acuto
Innocuum et peteret jam ferus ense caput.
Gaude ista virtute: tuus, fac, cultor eodem
Atque animo quaevis dura et acerba feram;

Atque Deo addictus constanti pectore vitam
(Res ubi sic poscat) projicere haud dubitem.

XLIII.

Ad Lycorim S. Agnetis imaginem contemplantem.

Cerne, Agnes mollis primaevo in flore puella,
Carnificum ut saevos haud metuit gladios;
Ridet ut instantis vultumque, et verba Tyranni,
Morti ultro et se se devovet horrificae!
Nempe vigor caelo venit hic tam mirus ab alto;
Plena Deo, humanum jam sapit illa nihil.
His freta exemplis aude sperare, Lycori;
(Numen opem spondet) femina cuncta potes.

XLIV.

De Pii VI. *Pont. Max. erga S. Petrum pietate.*

Usque Pius te, Petre, colit, visitque, tuosque
Longùm suspirans alloquitur cineres;
Atque tua paullo ne longiùs absit ab ara,
Tecta Quirinalis despicit alta jugi.
Cultorem tu, Dive, tuum servaque, juvaque;
Fac sacrum et sospes sospitet usque gregem;
Sic regat et gentes, duce te, tu regna ferare
Ut tua sub Sexto restituisse Pio.

XLV.

De Monialibus Teutonicis.

Devia Teutonicae servant haec templa puellae,
Quarum indefesso carmen ab ore sonat;

Carmen, quo Dominum vescae sub imagine frugis
Perpetuò tota nocte dieque canunt.
Hoc opus; huic instant curae: sic vita beatè
Degitur hìc magnis aemula Caelicolis.

XLVI.

Libro Evangeliorum inscriptum.

Haec hominum generi vitae praecepta reliquit
Ingens aetherei Filius ille Patris.
Qui sapis, hunc versa noctesque diesque libellum;
Hic claram in tenebris praeferet usque facem:
Hic reget errantes gressus, dum nocte fugata
Fulgeat aeterna candida luce dies.
Noxia quid veterum quaeris tot scripta sophorum?
Parvus habet, quod te sospitet, iste liber.

XLVII.

Ad Quemdam de Cinerum die.

Cur palles? moesto cur figis lumina vultu?
Cur dolor informem duxit in ore notam?
Insanisse pudet; lusus atque orgia damnas,
Et risu, et multo plena theatra joco.
Unde nova haec subitò venit sapientia? Fallor?
Profuit extremos an meminisse rogos?
O utinam iste, bonam potuit qui reddere mentem,
Fronti, dum vives, haereat usque cinis!

Digitized by Google

XLVIII.

In Ponticum de Deo prima rerum causa.

Primùm aliquid moveat nisi res, immota manebit
Summa haec haud ullo concita principio.
Unum id si dederis, dabis omnia, Pontice; menti
Sponte sua occurret conditor ille Deus;
Ille prior cunctis, rerum fons, unde habet ortum
Quidquid vi propria non pote, confieri.
Haec clamo frustra; vix te ipsum vivere sentis:
Unde trahas vitam, corde agitare piget.

XLIX.

De Omnipotentia Dei.
In quemdam, qui dixerat, esse quaedam in humano corpore, quae melius fieri potuissent.

Quae tibi non placeant humano in corpore, quaedam
Esse ais, et fieri queis meliora velis;
Magnum spernis opus, nec scis, quàm providus aptet
Cuncta suis mirè finibus ille Pater;
Ille opifex rerum sapiens, qui cuncta videre,
Quae vult, cuncta unus qui potis est facere.
Cujus humi stratus numen venerare, tremensque
Dic: Rectum est, quidquid condidit ista manus.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

EPIGRAMMATA VOTIVA.

I.

Pro Rogerio Boscovichio, quum e gravi ulcere, quo affectus diu fuerat, convaluisset.

Qui vulnus, Rogere, tibi tetrum abstulit, ac te
Optanti salvum reddidit Ausoniae,
Vitam illi haud solus debes, debemus at ipsi
Vitam, et si vita carius est aliquid,
Qui modò te absumptum, vita o mage care, sodales
Flevimus, audimus nunc subitò incolumem,
Laetamurque, Dei tanto et pro munere vota
Certatim flavum solvimus ad Tiberim.

II.

Pro Clemente XIII. *Pont. Max.*

Albani colles, castrumque in collibus, et tu
Frigida supposito condita lympha lacu,

Et mites animae spirantis lenè Favonî,
  Et quaecumque cies lenior aura nemus,
Vos, morbi quod restat adhuc, depellite, vos o
  Clementem, humani delicias generis,
Delicias, et praesidium, recreate; valentem
  Vos Urbi, et votis reddite Romulidûm.
Tunc Urbs, tunc hominum dicet genus, omnia vobis
  Deberi de se tam bene promeritis;
Tunc vos laudabit Clemens, multoque reverti
  Ad vos saepe loci captus amore velit.

III.

Perelai Votum
pro Pio VI. *Pont. Max.*

Aureolum hunc Petri collem super, hanc locat aram,
  Hìc niveas pascit qui, Perelaus, oves;
Inscribitque arae laetus, quae nulla vetustas
  Deleat, haec pulcris carmina pauca notis:
Salvo, Petre, Pio dicat hanc Perelaus, et orat,
  Cultorem serves ut, bone Dive, tuum;
Pro quo, sit longùm ut sospes, florensque, vigensque,
  Ipse suum pastor devovet ecce caput.

IV.

Pro Pio VI. *Votum,*
peracto quinto Pontificatus ejus anno.

Vota pii solvunt vates, quinquenne peregit
  Sospes et incolumis quòd Pius imperium,
Cui non quinque annos, at saecula quinque peracta
  Esse putat quisquis tot benefacta videt;

Tam vastas operum moles, mirandaque rerum,
Quae vincunt quodvis carmen, et ingenium,
Atque suis per se, vatum nihil indiga, ab ortu
Solis ad occasum clara micant radiis.
Vatibus hoc superest unum, tam magna gerenti
A Superis annos poscere Nestoreos.

V.

Ad Dei Matrem,
quae in aditu Floridianae domus colitur.

Arcto hìc in spatio deprensus torva minantis
Saeva bovis timui cornua Cunichius;
Atque tuo, Virgo, coleris quae proxima, casum
Effugi duri funeris, auxilio.
Gratus ob hoc memori fateor, testorque tabella,
Quòd spiro, et vivo, munus id esse tuum.

VI.

Deiparae Virgini Poetae Votum.

Virgo, tibi calamum dicat hanc Perelaus ad aram,
Quo suerat laudes scribere saepe tuas.
Tu face, quae scripsit de te, nec livida turba,
Longa nec infesto tempora dente terant.

VII.

Virgini Deiparae Votum.

Quòd varios pelagi casus, et caeca pericla,
Ventosque, et tristes incolumis scopulos

Imeris effugit, longo et post tempore tandem
Conspexit patriae limina cara domus,
Hic te marmoream posuit, bona Virgo, tuumque
Testatur grato pectore promeritum.

VIII.

Menalcae Votum.

Mens Bona, si qua Dea es, foedam quae pectore (noctem,
Errorum caecas discutis et tenebras,
Thura merumque tibi portat, supplexque Menalcas
Haec te pro socio Thyrside pauca rogat:
Fac, senio effoetus Pollae qui flagrat amore,
Noscat, quo flagrat, quàm sit ineptus amor.

IX.

Ad Somnum.

Haec tibi, Somne, fero Lethaea papavera, lacte
Haec niveo, et rutilo pocula plena mero.
Carmina coenatus cum scribo, tu procul absta;
Scripsi ubi, tum facilis tu mihi, Somne, veni.

X.

Pro Grege Daphnidis Votum.

Tu nemore in magno dormis heu! Daphni; Melampus
Nec vigilat, somno victus et ipse. Gregi
Quid misero fiet? Si quis Deus es, bone Somne,
Raptores etiam sterne sopore lupos.

XI.

Ad Eurum.

Arenti longùm quod terrae effuderis imbrem,
Eure, tibi grates reddimus innumeras.
Reddemus plures, pluviam largitus opimam,
Æoliam repetes si, tua tecta, domum;
Si Zephyrum regnare sinas Octobribus horis,
Dum cives campos, ruraque laeta colunt;
Dum captare auras caelo juvat usque sereno,
Innubi et, quò mens jusserit, ire die.
Crede, sat est, tellus Boreaque et Sole perusta
Officio semel est quòd madefacta tuo.
Cede procul, tecumque aufer tonitruque severum,
Et plena obscurae nubila moestitiae.
Venisti nulli non gratus; gratus abito;
Perdet longa tuum jam mora promeritum.

XII.

Daphnidis, et Antigenis Votum pro perpetua amicitia.

Hanc vobis aram Permessi ad flumina, Musae,
Ponunt unanimes Daphnis, et Antigenes;
Ille senex vestrae monstrator non malus undae,
Hic sibi monstrato potus in amne puer:
Ponunt; juratique ambo sic voce precantur.
Ara sit haec longae testis amicitiae,
Quam (prohibete nefas) nostrum si fallat utervis,
Vos illum e Pindo praecipitem ejicite.

XIII.

Puer Dorylas Apollini laurum.

Hanc parvus Dorylas laurum tibi, Phoebe, per altas
Qui Pindi rupes fert puer usque pedem,
Pegaseos quaerens latices, fontesque beatos,
Unde pii vates, turba diserta, bibunt;
Et rogat, hinc illi pulcra de fronde corona
Implicet ut doctas, te tribuente, comas.

XIV.

Pholoes Votum ad Deos Agrestes.

Liba Pali, flores Nymphis, thyrsumque Lyaco
Dat Pholöe; multum lac fluat ut domino,
Ut gregibus multae plenis de fontibus undae,
Multa sibi e pleno dulcia vina cado.

XV.

Ad Auroram
Votum pro Damone somniculoso.

Quae terris almam portas, Dea candida, lucem,
Et noctem ad Stygias cogis abire domos,
Damonis, bona Diva, tuo si munere somnus
Vel semel ignavis fugerit ex oculis,
Daphnis odoratis tibi spondet bina ligustris,
Binaque puniceis plena canistra rosis.
Si proprium id fuerit, florum sibi quidquid in hortis
Provenient verno tempore, sola feres.

XVI.

Naufragi Votum ad Deos Marinos.

Nereides, Neptune, Ino, Melicerta, Deorum
Quidquid habent vasti caerulá regna maris,
Naufragus hanc vobis tabulam do, vela daturos
Quae moneat, vobis credere se ut metuant.

XVII.

Ad Charites Corydonis Votum.

Formosae Charites, Divûm genu', queis sine pul-(crum,
Queis sine jucundum nil pote confieri;
Has vobis Corydon verno de flore corollas,
Inque suis ponit dulcia mella favis.
Vos facite, ut vestro madeant sua verba lepore,
Cantet ubi sumptis carmen arundinibus;
Nullaque non verno ridens mage flore, nec ulla
Vox sua Mopsopiis sit mage grata favis.

XVIII.

Ad Phoebum
Pro incolumitate Petri Pizzellii Lydae filii.

Phoebe pater, vocum et cytharae moderator ebur-(nae,
Cui cordi est dulces quisquis amat numeros,
Cultori tu, Dive, tuo, quae parvula morbi
Restat adhuc, praesens exime particulam.
Tunc tibi ego laetum scribam paeana: canoros,
Ut solet, egregiè condet at ille modos,

XIX.

De Eodem
et Violanta ejus sorore.

Petre, vales; Violanta simul valet: una duobus
(Proh Superi!) est uno tempore parta salus.
Nil non fraternum sensit soror; et tulit omnes,
Corpore quas frater, mente animoque vices.
Jurè igitur salvum pariter gaudemus utrumque,
Pro gemino et Divis dona damus capite.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

EPIGRAMMATA MORALIA.

I.

Ad Varum
de malis vitae humanae.

Vare, hominum vitam culpas, quòd plena malorum est,
Et praebet rerum plurima, quae doleas.
Cur non te potiùs culpas, qui tot bona vitae
Sponte tua inspersa perdis amaritie?
Qui curam struis ipse tibi, pectusque fatigas
Usque tuum indomitis ipse cupidinibus?
Fac, animum infraenet Ratio, flectatque; malorum
Jam vitae multò maxima pars fugiet; (sque,
Jam bona se affundent multa omni ex parte; levi-
Quam culpas, fiet vita tibi et facilis;
Jam dices: Non res, sed mens facit una beatos;
Vitam omnem perdit stultitia una hominum.

II.

Vita fugit.

Vita bonum instabile est; fugit, avolat, ipsaque se se
Conficit, inque dies fit minor, atque minor.
Vivendo absumit vitam sibi quisque; citato
Ad tumulum a cunis fertur et usque pede.
Quidquid agat, gradus est primo festinus ab ortu,
Quo ruit extremum semper ad interitum.

III.

Minimè homines in vita meditari,
quae post mortem Deus paret.

Tellure egressos parvo post tempore tellus
Materno reduces excipiet gremio.
Huc summi, huc imi pariter properamus: eundum
Regibus huc magnis, huc humili agricolae.
Lex eadem cunctis; vitae sors utraque, tristis,
Laeta, brevi extremos desinat in cineres.
Hanc miseri scimus: nec curae est omnibus unum
Extremos unum quod fugiet cineres!

IV.

Ad Cinnam,
cujusmodi adolescentem probet.

Qui placeat juvenis mî prima aetate, requiris?
Dicam; prosit enim, si facilè audieris.
Is placet, haud nimium gestit qui cuique placere,
Et fieri, quoquò venerit, eximius;

Digitized by Google

Quem pudor ingenuus commendat; qui sapit, omnes,
  Nec vult confestim, noscere, quàm sapiat;
Qui tacitus plerumque sedet; qui discere mavult,
  Doctoris fungi quàm temerè officio.
Qui (longo sermone sequar ne singula) nulla
  Non est re prorsum, Cinna, tibi absimilis.

V.

Ad Avitum de vigilia.

Quàm potis es, vigila: quod somno demis inerti,
  Id vitae apponis tempus, Avite, tuae.

VI.

Ad Postumum divitias optantem.

Esse cupis dives, sanus magis esse labora;
  Obsunt vesano, Postume, divitiae.
Nitens divitiis miserum se denique perdit,
  Conficit atque suo quae struit exitio.
Quaeque sibi dixit falsò bona, re docet ipsa,
  Tandem pravè uso magna fuisse mala.

VII.

In idem argumentum.

Pontice, divitiae, si rectè utare, bonae sunt;
  Sin contra, quis non autumet esse malas?
Rectè utar, dicis; rem dicis, Pontice magnam,
  Multò et, quam reris, pol mage difficilem.
Unde, malum! tanta est fiducia, posse nocere
  Nil tibi, quod nocuit, quod nocet innumeris?

Quid mi ergo suades, inquis? Nil Pontice: tu ne ut
Spernas, stulti omnes quod sibi discupiunt.

VIII.

Ad Senem annos occultantem.

Foeda tegi nulla potis est ratione senectus,
Atque, tegi cum vult, foeda fit illa magis.
Corporis est vitium, studeat ni fallere, tantùm;
Corporis atque animi, fallere si studeat.

IX.

Ad Quintum de Lycoride famula formosa.

Pauper, inops, patrio deducta hac rure Lycoris,
Quinte, tuam subiit pulcra ministra domum.
Fallor? an huc vilis quae venit, Quinte, ministra,
Pulcra quod est, fiet jam domini domina;
Teque reget ductans, et capta mente sequentem
Usque suum quovis flectet ad arbitrium?
Quaere aliam, jussusque pati quae possit heriles,
Jurgiaque, et saevas pertimuisse minas.
Formosae nulli suerunt servire puellae;
Quò veniunt, semper sceptra superba gerunt.

X.

Ad Avitum, dum alios curat, sui oblitum.

Das Patriae, domui das tempus, das et amicis;
Das nullum interea tempus, Avite, tibi;
Nec tibi quid prosit, quaeris, quidve obsit; in aevum
Vita sit aeternum, morsve parata tibi.

Quid juvet heu! servasse alios, si te malè perdas?
Vive aliis, primùm vive sed ipse tibi.

XI.

Ad Tullam, de Patientia.

Multa quidem miseram vexant mala; sed grave nul-
(lum
Est magis hoc, nescis quòd tua ferre mala.
Fac, mentem obfirmet Patientia, Tulla: malorum
Plusquam pars aberit jam tibi dimidia.

XII.

De Senectute.

Quidquid id est, juvenum quo mens tumet, ira, (cupido,
Gliscentes trepido in pectore laetitiae,
Discordes veluti fluctus, posuere. Senectus
Scilicet hoc tantùm mi tulit alma boni.
Salve, o pars vitae longè optima! non freta sanus
Fervida ego placidis portubus antefero.

XIII.

Ad Ponticum, amoris vim accusantem.

Posse nihil contra Idalium te dicis Amorem:
Dic potiùs, dic, te, Pontice velle nihil.
Cur nequeas, possunt quod millia multa bonorum,
Quos Amor haud ullo flectit ab officio,
Quorum fraena regit Ratio, nec lora remittit
Unquam vesanis victa cupidinibus?
Infelix! non te vires, sed, viribus uti
Cujus opus proprium est, Mens Bona destituit.

XIV.

Ad Gelliam de Amatore, et Amico.

Foedus amicitiae fatuo quàm praestat amori!
Defit amor; perstat foedus amicitiae.
Praefer amatorem quantùm vis, Gellia, amico;
Ille fugit, seros hic manet ad cineres.

XV.

In via Virtutis nunquam consistendum.

I porro ad metam pulcrae Virtutis; eodem
Non est mortalem, Pontice, stare loco.
Aut juga perpetuò conniti ad summa necesse est,
Aut imum volvi praecipitem in barathrum.
Nil medium est: Virtus vel crescit, vel minor usque
Fit, malè dum foedum desinat in vitium.

XVI.

De malo Amore omni cura vitando.

Quàm potes, Idalii stimulos averte furoris;
Nescis, quàm multos perdidit iste furor?
Flamma levis primò caecas illapsa medullas,
Dein aestu effraenis volvitur indomito;
Victa jacet ratio, victum jus, fasque; triumphat
Ille puer nostro laetus ab exitio,
Ille malus foedae Veneris puer, et sibi plaudit
Victor, et incestas subjicit usque faces, (nesti
(Nec mora,) dum quidquid pulcri, dum quidquid ho-
Est super, extremos verterit in cineres.

Digitized by Google

XVII.

Ad Aulum adolescentem de muliebri consuetudine.

Aule, malum non est, res est modò plena pericli,
Usque colis juvenis quòd muliebre genus.
Esse malum nec te dico, nec dicere fas est,
Sed neque mi videor dicere posse bonum.
Non bonus est, nimiùm sibi qui confidit, et audet
Id, fieri multos perspicit unde malos;
Non bonus est, cura qui non sibi providus omni
Prospicit, esse diu possit ut, Aule, bonus.

XVIII.

De multiplici Artium studio.

Artem scit nullam, qui multás scire laborat;
Unam etiam porsus discere difficile.
Ars est longa, brevis vita haec, quam ducimus; unis
Non scripsit Medicis maximus Hippocrates.

XIX.

Ad Glauciam frustra olim monitum.

Scita senum rident juvenes, laudant sua scita,
Dein magno docti flent sua scita malo;
Remque suam, atque suae plorant dispendia famae.
Ipsi et se se horrent, ac sua flagitia.
Haec tibi praedixi quondam, monuique futura;
Risisti monitus, Glaucia stulte, meos. (dignus.
Nunc misero haud risum, sed moestas, queis mage
Illo pro risu, Glaucia, do lacrymas.

XX.

De Animo.

Ipsum se se animus sentit, vivitque, vigetque,
Atque agilis nutu flectitur usque suo,
Æternumque acres curas extendit in aevum,
Spe calet, alterno saepe metu quatitur,
Parvus et immensum peragrat; terras, mare, caelum,
Cuncta suo latè pervolat ingenio;
Semotum et longè sua per vestigia Verum
Invenit, et caecis protrahit e latebris.
Materiem haec brutam qui rentur posse, pol! aequant
Brutam vecordi pectore materiem.

XXI.

Ad Tullam, quo pacto omnibus probari possit.

Tulla, rogas, quànam possis cara omnibus esse?
Eximiè nemo si tibi carus erit.

XXII.

Ad Varum de hujus saeculi moribus.

Vare, probas teneris addicta haec saecla puellis,
Unde virûm immanis flectitur ille rigor;
Non odia exercent urbes vesana, domosque,
Saeva nec alterno sanguine tela madent.
Id fateor; saeclum nec laudo molle: ferinus
Nequitia nam dum flectitur ille rigor,
Heu! sine quo nil fit magnum, pulcrumque, virilis
Nequitia pariter frangitur ille rigor.

Digitized by Google

Opto aliud remedi, vitium quod tollat, Amice,
Virtutem foedè nec simul interimat.

XXIII.

Ad Flaccum, quid de hominibus existimandum.

Fallitur hercle, bonos omnes si quis putat esse;
Fallitur aequè, omnes si putat esse malos.
Est medium in vita quiddam: nolo, mihi simplex
Sis nimium; nolo, sis mihi, Flacce, vafer.
Esse puta haud paucos, queis tutò fidere possis;
Multos, queis magna est fidere stultitia.

XXIV.

In hominem cupiditate abstractum.

Auferor in praeceps, dicis: dic, Postume; ferri
In praeceps lento pectore me patior.
Urget frustra etenim mentem vesana libido,
Mens dederit victas ni tamen ipsa manus.
Consensus nocet, haud sensus. Qui corruit ultro,
Ipse sui culpam sustinet exitii.

XXV.

Quid in vita magni fieri debeat.

Quàm dulcis fuerat, quàm dives, claraque vita,
Nil referet; nil, quàm manserit illa diu. (mni,
Hoc referet, bona quàm fuerit, quàm functa sit o-
Grata adeò ut fieret, gnaviter officio.
Haec solida est vitae laus una, atque unica; vani
Laudamus quòties caetera, desipimus.

XXVI.

De hominis conditione.

Unde venis? quònam tendis? quae vita futura est,
Cum venies illuc, tempus in omne tibi?
E nihilo egressus pergis per tempora in aevum
Venturus cursu praepete perpetuum.
Illic nempe coles, miser usque, vel usque beatus,
Quam tibi nunc ultro construis ipse, domum.
Haec mihi saepe itero; muloet spes; at metus acer
Mentem animi penitam (proh Superi!) horrificat.

XXVII.

Ad Levinum laudantem Patriae suae lenitatem.

Hòc Patriam laudare audes, Levine, quòd illa
Haud plectit, si quis dogmata prava serat?
Quid, si quis, vitae noceant quae, dira venena
Misceat, idne etiam negligitis facinus?
Corporis an vobis res magnaque, dignaque cura;
Res nihili mentis creditur esse salus?

XXVIII.

Ad Levinum, inanem esse doctrinam sine moribus.

Multa legis, melior nec fis, Levine; medullas
Urit adhuc geminis dirus amor facibus;
Ira furens tumido fervet sub pectore; gliscit
Nullis laeta satis plausibus ambitio.
Quò vigiles abeunt curae? quò tanta supellex
Doctrinae, frustra quam tibi, stulte, paras?

Digitized by Google

Ni purgent animum quae discimus, otia praestat
Laeta sequi, et nullo scire labore nihil.

XXIX.

Ad Aulum a Vero desciscentem.

Quod semel est verum, verum non desinit, Aule,
Esse unquam, incertas non subit, Aule, vices.
Vertuntur mores hominum, rerumque; videtur
Longè alius, versis moribus, esse color.
Utque oculus videt arquati flava omnia, stulti
Mens vitio sic res inficit usque suo.
Ipse sibi foedè varians variare putat res,
Atque, priùs verum quod fuit, esse negat.
Aule, tuos mores componat denique Virtus!
Quod verum est, verum jam tibi semper erit.

XXX.

Ad Postumum, filio suo divitias parantem.

Pauperiem nato metuis, pergisque parare,
Olim quas perdat, Postume, divitias;
Quas perdat, quibus infelix perdatur et ipse,
Mollis et ignavo fractus ab otiolo,
Omni semotus cura, foedoque veterno
Mergens neglectum turpiter usque animum.
Vis nato prodesse tuo? non magna relinque
Praesidia; ille famem, nolo, sibi ut metuat;
Nolo, malum ut frigus nequeat depellere; nolo,
Tecti expers vitam sub Jove nudus agat.
Haec provisa suo patri, fac, debeat: amplos
Sollerti census quaerat ab ingenio.

Digitized by Google

XXXI.

Ad Postumum, querentem se contemni.

A me, saepe doles, fieri te, Postume, parvi;
At tu da, magni, Postume, quod faciam.
Nil me divitiae, nil forma, et robore praestans
Corpus, nil magni vis movet ingenii,
Degener et proavùm narras quòd gesta tuorum,
Atque tumes vanos turgidus ob titulos.
Una movet Virtus, pretium facit una virorum;
Qui caret hac, is mi dicitur esse nihil.

XXXII.

Ad Æglen, Helenae vetulae imaginem tuentem.

Cana comam, rugisque genas jam foeda, nitenti
Vidit ubi se se Tyndaris in speculo,
Quae fuerat, nec erat, flevit dispendia formae;
Cur, et ait secum, bis ego rapta fui?
Ægle, hanc in tabula quae cernis, parce tumere;
Dic et: qua niteo nunc ego, forma fugit.

XXXIII.

Ad Levinum de malo Sodali.

Junge malis bona vina, boni quod jungis, acescit,
Venit ubi in coetum, praevalet usque malum.
Hoc causae est, tibi cur metuam, Levine, sodalem
Qui tibi junxisti tam bonus improbulum.
Ille tibi similis non fiet (crede monenti),
Illi sed fies denique tu similis.

XXXIV.

Ad Varum de ejus parsimonia.

Tot bona quae Superi tibi dant, mi Vare, fruenda,
His renuis, nimiùm parcus, Amice, frui.
Ne quid fortè olim desit, nunc plurima desunt;
Arcessis, metuis quod tibi sponte, malum.
Quae praesens Fortuna feret, fac commoda carpas,
Nec, quod opus, desit seu tibi, sive tuis.
Res malè ut eveniat, postremò te premet ista,
Nunc miser ipse facis quam tibi, pauperies.

XXXV.

De Galla, et Tulla.

Galla domo in parva colitur, coetuque frequenti
Primorum Romae cincta sedet Procerum;
Tulla domo in magna vix ulli visitur unquam,
Atque velut nudo in litore sola sedet.
Non domina hercle domum Romae clarescit ob amplam,
Amplam clarescit sed domus ob dominam.

XXXVI.

De misera hominum conditione.

Heu natum in curas hominum genus! atra malorum
Cui seges assiduas praebet amarities;
Quae postquam venere, angit praecordia moeror;
Ne veniant, gelido mens tremit usque metu.
Sic, quae sunt, et erunt, miseri mala jungimus, acri
Nostros ut morsu dilanient animos.

Digitized by Google

XXXVII.

Ad Fratres foedè inter se jurgantes.

Heu! miseri fratres, quae vos mala vexat Erynnis?
Quis furor, heu! subitas condit in ossa faces?
Cur flammis arsere oculi, torvùmque minantur,
Cur saevo gliscunt jurgia cum fremitu?
Ah! cohibete animos, patrios nec laedere manes
Hostili, fratres, pergite dissidio.
Jungat amor, jungit quos sanguis: Sic pater alto,
Sic genitrix clamat mortua de tumulo.

XXXVIII.

Ad Pollam de Quinto,
ejus manum osculari cupiente.

Polla, manum serva; Quinti vita oscula, dextrae
Isti quae cupidus figere multa furit;
Et queritur, stulta urbanis quòd moribus obstas,
Nec, quo more aliae, te patiare coli.
Nempe istas promit flammato e corde querelas
Improbus, officii nomine tectus, Amor.
Cui quae victa gerit morem, dum praebet amanti
Illa manum, hoc dicit: Duc age, laeta sequor.

XXXIX.

Ad Cinnam.

Cinna, manus cohibe: teneras ne attinge puellas;
Non satis Idalio vel procul igne nocent?

XL.

Ad Cinnam, ex amore aegrotantem.

Idalios, quà, Cinna, potes, compesce furores,
Fraena trahe insanis arcta cupidinibus;
Curas, diram animi pestem, vitaeque venenum,
Quàm potes, e totis exige pectoribus.
Incipies, qui nunc aegrotas, Cinna, valere,
Purpureus veniet rursus in ora color.
Una salus haec est, res haec potis una mederi,
Instanti et miserum subtrahere exitio.
Ni facis, indomito perges tabescere morbo;
Nil succi, herbarum nil erit omne genus;
Frustra erit, ipse alto veniat si missus Olympo,
Detque sua Paeon pharmaca trita manu.
Nemo potest alius; tibi tu potes, une, saluti
Esse, volens animo ponere jura tuo.

XLI.

Ne quid nimis.

Frigida vesano tremefactus corda pavore
Haeres legiferis anxius in tabulis,
Inque tuos mores inquiris nocte dieque,
Nec potis es somni, nec memor esse dapis,
Omnia dum expendis veri momenta bonique,
A summo ne quid discrepet officio.
Curas disce, precor, nimias compescere; rebus,
Quem decet, in cunctis disce tenere modum.
Crede mihi, medium virtutis transilit, Aule;
Nec bonus est, nimiùm qui cupit esse bonus.

Digitized by Google

XLII.

Mortis citus adventus.

Quam citò frugiferis arescunt gramina in arvis,
Cum medius siccos Phoebus adurit agros,
Quam citò purpureae languescunt munera Florae,
Intempestivis cum ruit aether aquis;
Tam citò primaevo spoliamur flore juventae,
Namque venit tacito pigra senecta pede;
Tam citò ad extremam properamus funeris horam,
Et brevis immiti nos tegit urna situ.

XLIII.

Ad Glauciam.

Tu te, habeas quòd multa, ego me me, Glaucia, magnum
Esse reor, multis quòd nihil indigeam.

XLIV.

Monet Ponticum, ne feminarum blanditiis credat.

Dicebam: vafris ne crede, o Pontice, verbis;
Pontice, femineas aufuge blanditias.
Dicebam; at monitus risisti saepe fideles,
Et mea per vacuum verba tulere Noti.
Nunc sentis fraudem laesus, tua vulnera sentis,
Quàmque nocens mulier sit, miser ipse vides;
Et piget, et flagras vesano incensus amore,
Et miser usque peris; vinclaque, et effugium
Displicet; attonitusque haeres; nec ferre, nec istud
Jam potis es collo deposuisse jugum.

XLV.

Cujus animi sit Battus, se didicisse ex ejus sodalibus.

Non ego te novi, novi sed, Batte, sodales,
Queis arcta vivis junctus amicitia.
Nil opus est aliud; novi et te, Batte, tuamque
Odi, atque aversor sanus amicitiam.

XLVI.

In Glauciam, paucis contentum satis divitem esse.

Cellula parva mihi satis est, attritaque vestis,
Et tenuis facili mensa parata dape.
Cui satis haec, possum dites ridere, tuamque,
Glaucia, stultitiam, et grande supercilium.

XLVII.

Hominis desiderium nil praeter Deum explere posse.

Nullo laeta bono satis est, quo denique parto,
Mens aliquid cernit, quod velit ulteriùs.
Hoc tibi si memori defiges pectore, Tulle,
(Heu Tulle, usque favet cui bona Fors, animus
At desiderio nunquam non flagrat inani!)
In solo incipies figere vota Deo.

XLVIII.

De carmine amatorio.

Addictus sacris odi quaecumque protervae
Lascivo tractant carmine Pierides.

Gnidus, Amor, Veneres tibi nec, qui scribis, Amice,
Nec mihi conveniunt, qui tua scripta lego.

XLIX.

Quae sit hominis origo, et finis, docet Poeta.

Limo nati homines nuper, limusque futuri,
Ævo quid frustra multa brevi struimus?
Cur laetis inflat pectus jucunda voluptas?
Cur premit heu! moestis anxia corda dolor?
Vita fugit; magnum in vita quodcumque putamus,
Dum loquor, in fumum vertitur, et cinerem.

L.

Ad Pollam, pulchellos tantum laudantem.

Virtus in pulcro laudatur corpore tantùm;
In foedo sordet corpore, Polla, tibi.
Plus oculis, quàm mente sapis; spectatur imago
Futilis, ipsa quidem res male negligitur,
Res omni mansura aevo, dum praeterit auris
Ocyor ista levis quae tibi forma placet.

LI.

Utramque sortem aequo animo ferendam esse.

Quidquid erit rerum, sortem ferto aequus utramque;
Incertum est homini, quid ferat hora sequens.
Caeca rotam versat Fors: fletum in gaudia, tristes
Et risum vertit, quum lubet, in lacrymas.
Nil constans, proprium nihil est; quo dicimus esse
Triste quid, aut laetum tempore, praeteriit.

LII.

Facta virum clarant.

Facta virum clarant, mores, prudentia: natus
Unde sit, id vulgus viderit, ac Procerum
Pars vulgo haud melior. Non quaero, quis pater illi,
Qui fugit in primo pulvere victor equus.

LIII.

Citò annos labi, et fugere.

Ævi flos fugit, fugit matura juventus,
En fugit heu! celeri tarda senecta pede.
Nil actum misero; vani periere labores,
Nil superest, serus ni dolor, et lacrymae;
Nec serus dolor est, risu traducta profano
Si modò vita pias desinat in lacrymas.

LIV.

Ad Postumum, ne sibi soli consulat.

Quae sunt facta aliis, tibi Postume, facta putato;
Facta tibi quae sunt, facta putato aliis.
Nec laedi nimium argutus tua jura querere,
Nec tacitus laedi jura aliena feres.

LV.

Ad Quintum, quòd Bacchanalibus non interfuerit.

Orgya quòd vitas juvenis, laudo; ignibus hercle
Nil opus est ignes addere, Quinte, alios.

Digitized by Google

Ætas prima calet per se sibi: sponte calenti,
Qui sapit, externas arceat usque faces,
Incertas heu! Quinte, faces, laeta Orgya circum
Quas jacit, et juvenum pectus adurit, Amor,

LVI.

In Quintum imprudenter feminas inspicientem.

Femineos dicis vultus te, Quinte, videre;
Dic mage, te vultus cernere femineos.
Qui videt, is raptim celeri praestringit ocello,
Qui cernit, cupidam figit in ore aciem.
Primum impune licet; res altera plena pericli est,
Atque dedit multos, et dabit exitio.

LVII.

Virum moveri ad arbitrium Sortis non debere.

Incertum est, quod fata ferant, quàm crastina surget
Nubila, vel pura luce serena dies.
Spes inhibe, atque metus rerum hoc in turbine, quum Fors
Arbitrio vitam versat agitque suo.
Una virum haec firmet sententia certa, moveri
Nil usquam fatuae sortis ad arbitrium.

LVIII.

De humanae vitae conditione.

Urbem agris, agros mutat Levinus et urbe,
Nunc peregre, in patria nunc dolet esse domo.
Nunquam non odit praesentia, dum sibi stultus
Vitam omni expertem quaeritat esse malo;

Nec sentit, quòcumque abeat, ceu piscis in unda est,
Sic hominem in mediis degere ubique malis.

LIX.

Ad Leonillam
defendentem puellam parum pudicam.

Cur casta incestam curas, Leonilla? tuere
Sic aliam, noceas ne tamen ipsa tibi;
Ne quis communem te credat dicere causam,
Sumptaque pro patriis arma movere focis.
Parce patrocinio, mores quod dedecet istos,
Tuque tuum retine, quo caret illa, decus.

LX.

Aliud.

Ne tibi dissimilem lauda, Leonilla, puellam,
Ne quis dissimilem te putet esse tibi.

LXI.

Nihil homini prosperè procedere posse,
nisi Deus opituletur.

Felix, quem Superûm deducit cura: per ignes
Tutum se, adversas expedietque acies:
Arma locum deflexa dabunt, gressumque ferenti
Decedet rapidis flamma voluminibus;
Non mare, non venti, non fulmina saeva nocebunt:
Quaelibet huic quovis tempore tuta via est.
Quisquis at inceptat quidvis sine numine Divûm,
Infelix portu mergitur in medio.

LXII.

Amicum incestum
laedere famam vel castae puellae.

Incestos inter castam te vivere, dicis:
Juratae id nequeam credere, Galla, tibi;
Nec vulgus credit; sed, quod res cogit, amicis
Esse tuis prorsum te putat assimilem.
Et meritò; nec enim milvis gaudere columba,
Versari in mediis nec solet agna lupis.

LXIII.

Haud frustra benefacta cadere.

Omnia sunt ingrata; usquam non redditur ulla
Æqua meis, inquis, gratia promeritis.
Perge tamen; factisque bonus, dictisque juvato
Quos potes; haud frustra nam benefacta cadunt.
Multa homines pensant; nullum non pensat, ab alto
Res hominum cunctas qui videt axe, Deus.

LXIV.

Solam virtutem
hominem facere beatum.

Virtus una, reor, potis est praestare beatum,
Aspera quae forti pectore perpetitur,
Obduratque omnes ad casus aequa, nec unquam
Se Sorti, Sortem subdit at ipsa sibi.
Hanc mihi ego solam; tibi tu sapientior opta
Quaevis instabilis, Postume, dona Deae.

Digitized by Google

LXV.

Vitam humanam nil solidi habere.

Vita levi est somno similis: quaecunque geruntur,
Raptim, cassa velut somnia, praetereunt.
Nec dolor est quidquam, nec quidquam grata voluptas:
Advenit, et lapsu praepete quodque fugit.
Quod teneat solidi, nihil est; nil cuncta fuisse,
Ceu vigil, extremo in funere quisque videt.

LXVI.

Viro bono pluris esse debere suam conscientiam, quàm omnium laudes. EX CICER.

Quid narret Vulgus mendax, quid Fama loquatur,
Quaerat is, ad speciem cui satis esse bono est.
Vir bonus haud placeat multis; nec laude relata
Gaudeat, ipse sibi conscius at meritis.

LXVII.

Monet Franciscum Cancellerium, ut Deum sibi praesentem semper esse putet.

Ille tuus custos, tuus et, Francisce, magister
Agros Romulea dum procul urbe colo,
Ne tibi, me coram quae nolles facta, licere
Fortè putes, dictum hoc pectore conde memor:
Est qui cuncta videt praesens Deus: haud latet illum
Quidquam; illo fieri nil sine teste potest.
Illum, ut semper adest, si semper adesse putaris,
Pergès laudata, quam teris, ire via.

LXVIII.

Virum constantem felicem esse.

Multa adversa cadunt miseris Mortalibus: omnes
Exercet variis Fors inimica malis.
Felicem possis vel nullum dicere, solum
Vel, mala qui forti pectore perpetitur.

LXIX.

Verè divitem esse, qui sua sorte contentus sit.

Quis dives? facilis rerum cui suppetit usus,
Qui, quod habet, fruitur, nec sibi plura cupit.
Hoc modò cui Divûm contingit munere, ditem
Dicatur Crassum vincere divitiis.

LXX.

Neminem nimiùm sibi ipsi credere debere.

De te, Galle, tibi nimiùm ne crede; videre
Nec te, quae peccas, omnia posse puta.
Fidis da monitis aures; vitaeque magister
Esto alii, cuivis, non tamen ipse tibi.
Caecus amore sui fertur, praeque omnibus unus
Desipit, ante omnes qui sibi, Galle, sapit.

LXXI.

Adversa aequo animo ferenda esse.

Mente bona adversam fer sortem: lenius omne,
Quinte, malum leni redditur ingenio.

Digitized by Google

LXXII.

Poenam tandem consequi scelestos.

Crede mihi, stultè laetaris, tot malè facta
Quòd tua successus cuncta habuere bonos.
Tarda venit claudo gradiens pede poena; scelestos
Poena tamen claudo vel pede consequitur.

LXXIII.

De viro sapiente.

Qui sapit, is latè regnat: qui desipit, inter
Aurum, et gemmarum lumina mancipium est.

LXXIV.

In idem argumentum.

Qui sapit, is rerum nil non habet, et sibi, quoquò
Venerit, imperium lataque regna parat;
Nec se Fortunae dat caeca mente regendum,
Fortunam arbitrio sed regit ille suo.

LXXV.

In Cupidinem.

Quòd puer est, blandùm quòd ridet, Batte, Cupido,
Ne credas; puer est blandus, at arma gerit,
Contenditque arcus, et spargit tela cruenta,
Et fert saepe viris vulnera, saepe necem.
Dulcia sic haustu primo sunt tetra venena;
Sic primo adspectu flamma timenda placet.

LXXVI.

Illum esse fortem, qui se ipsum novit vincere.

Fortem vulgò ajunt, alios qui vincere; fortem
Ajo ego, se se ipsum vincere qui didicit.

LXXVII.

De imagine Amoris.

Hic quòd ridet Amor, vafro ne credite; multos
Extremum risu duxit in exitium.

LXXVIII.

Aliud.

Quis puer hic pennatus? Amor. Quid fundit ab urna?
Quas ciet humanis ex oculis, lacrymas.

LXXIX.

De duobus Amoribus, altero ex ebore, altero ex ebeno.

Cur tam dissimiles conjunxit sculptor Amores,
Hunc ebore, hunc nigro scilicet ex ebeno?
An quod Amor primo solet ortu candidus esse,
Dein verso fieri saepe colore niger?

LXXX.

In ultores.

Haud magnum ulcisci, magnum est ignoscere. Qua vis
Urget, prona via est; ardua, qua ratio.

Digitized by Google

LXXXI.

Ad Battum, ne fidat Amori.

Qui blandùm risit veniens, nunc efferus in te,
Batte, venenata cuspide saevit Amor.
Tu placare paras; puerum fuge, Batte, dolosum:
Ah! satis est, laesam vel semel esse fidem.

LXXXII.

= Nil nisi vulgus erit, qui vulgi oracula curat =.

Carpe viam, Virtus quò te rapit ardua; sperne
Quidquid vulgus iners garrit, et obloquitur.
Qui stultè curat fatui dicta omnia vulgi,
Ipse etiam semper nil nisi vulgus erit.

LXXXIII.

Amorem Senes etiam quandoque tentare.

Quinte, cave; nimiùm gelidae ne fide senectae!
Rugas Idalius non timet ille puer,
Quin petit interdum, ne molli scilicet aevo,
Soli sed palmam debeat ille sibi.

LXXXIV.

Ad Levinum de Amore innocuo.

Vince animum, compesce malos, Levine, calores:
Ni facis, in praeceps te tuus ardor aget:
Clamavi, et clamo. Rides, et dicis, amore
Istud succendi pectus ab innocuo.

Innocuum cupio; magis at solet ille nocere,
Qui magis heu! caecis creditur innocuus.

LXXXV.

De gemma, in qua Amor columnae alligatus necquicquam cupit papilionem apprehendere.

Moeret Amor durae devinctus membra columnae,
Quaeque miser patitur, ferrea vincla gemit:
Papilio volitat juxta, quem prendere gestit,
Nec potis est; retinet firma catena manus.
Papilio levis hic mentem, corpusque columna,
Fac, referat; referet te tibi vinctus Amor;
Utiliter gemmam poteris, Corvine, tueri,
Servitio et finem ponere velle tuo.

LXXXVI.

Ad Lycorin, qualem eam esse velit.

Rustica sis, nolo; nolo, sis blanda, Lycori;
Est quiddam haec inter, quod teneas, medium;
Officii quò plena queas, et casta probari,
Nulli et non aequè grata placere viro:
Inter utrumque ito: Scyllam et vitare Charybdim
Hìc opus est: frustra fugeris alterutram.

LXXXVII.

Iram pluries sibi nocere.

Vince animos, fraenisque iram compesce; nocere
Vult aliis; crebrò sed nocet ira sibi.

Digitized by Google

LXXXVIII.

Ad Quintum hominem iracundum.

Irasci facilis, tibi nunquam irasceris ipsi,
  Quòd munus foedè negligis usque tuum.
Parce aliis; saevi te contra; discute somnum,
  Rumpe moras, et te strenuus increpita.
Ira tibi fiet virtutis, Quinte, satelles;
  Ira tibi ad laudem jam tibi calcar erit.

LXXXIX.

De vita humana.

Si sapias, pulcris defixo pectora curis,
  Ventus uti, lapsu praepete vita fugit.
Ni sapias; curis vacuo tibi lenta trahuntur
  Tempora, et est anno longior una dies.
Heu miseri, queis vel vitam servare negatum est,
  Sentitur tantùm vita vel insipiens!

XC.

De bono Senectutis.

Nunc te, Quinte, regit Ratio; quondam ille regebat
  Mentis inops, praeceps, lumine captus Amor;
Tu tamen amissam revocas plorasque juventam,
  Et moeres celeres praeteriisse dies.
Crede mihi, est tanti, ut sapias, amittere quidvis;
  Nullo non pretio mens bona possit emi.

XCI.

Ad Varum de Senectute.

Vare, senem spernis: cur sperni digna videtur
Sera aetas? metam quod prope contigerit?
Cur pigeat vitae ad calcem venisse? laboris
Anne grave est longi non procul esse modum?

XCII.

Ad Postumum,
curari quae negligenda, negligi quae curanda sunt.

Quae raptim fugiunt, curamus, Postume; in omni
Quae mansura aevo sunt bona, negligimus.
Felices juvat esse, viam dum carpimus; at Sors,
Excipiet quae nos postmodo, pro nihilo est:
Nimirum stulti solo rerum omnia sensu
Metimur, brutae non secus ac pecudes.
Quod praesens non est, prorsum nihil esse videtur,
Nec subit heu! praesens jam fore perpetuò.

XCIII.

Ad Aulum de animi constantia.

Nempe jaces, cum sors adversa est, fractus; et idem
Exsultas sortem nactus, Amice, aliam,
Mancipium infelix Fortunae, quae trahit usque,
Vertit et arbitrio te levis usque suo!
Stare loco decet, Aule, virum; quascumque subit res,
Mente sua nullas velle subire vices.

Digitized by Google

XCIV.

Ad Postumum ineptum hominem, Corvini ineptias nequaquam ferentem.

Corvinus gravis est tibi, Postume; tu gravis illi;
Ille gravem sed te fert tamen assiduè.
Redde vicem, carumque itidem tu ferto sodalem.
Alternis vitae hoc vivitur officiis.
Da veniam nactus veniam; facilique, bonoque
Fac, quamquam gravis est, sis bonus, et facilis.
Nemo est, quem possint minùs omnes ferre, molestum,
Quàm si quis nullum, Postume, ferre potest.

XCV.

Ad Pollam de forma.

Ajunt esse tuam ob formam te, Polla, superbam;
Nec scis, quàm leve sit, quàm breve forma bonum?
Nil ultra est speciem vanam, cassumque colorem,
Ocyor et ventis aufugit aëriis;
Aut casu, aut morbo, tacitis aut interit annis.
I nunc ob formam, Polla, superba tuam.

XCVI.

Ad Gallam, duris assuescendum.

Quòd nil, Galla, pati duri vis, hòc, mihi crede,
Hòc uno fiunt omnia dura tibi.
Sic omnem vitare auram qui suevit, is omnis
Flatu aurae insuetus laeditur a tenui.

XCVII.

Ad Gelliam,
ne tantùm placere, sed etiam prodesse velit.

Ut nil non placeat, quae dicis, Gellia, cumque
Expendisque acri singula judicio,
Quàmque potes, multo contingis verba lepore,
Atque studes omni spargere dicta sale.
Verùm hoc, et meretrix quod vafra expromere possit,
(Pace tua) laudis nil habet eximiae.
Vis praestans animi dici matrona? severè
Dictum, quod prosit, Gellia, dic aliquid;
Dic aliquid, quo, te quae stipat, plurima turba
Possit non fieri laetior, at melior.

XCVIII.

Ad Quintum de Perilla.

Pulcra, sagax, varias artes et docta Perilla est,
Clara genus, magnis incluta divitiis.
Haec fateor; magni facio nec, Quinte, Perillam.
Vis faciam? verè, si potes, adde: proba est.

XCIX.

Ad Eunum,
aliena curantem, sua negligentem.

Nullum non curas, nulli non consulis, Eune,
Rem bonus interea negligis ipse tuam.
Laudarem, vetus at dictum est: Frustra sapit, ipsi
Qui prodesse sibi non potis est, Sapiens.

Digitized by Google

C.

Ad Postumum de ejus prudentia intempestiva.

Quum malè res cecidit, clamas; hoc, Postume, et (illud
Debuerat fieri, ne malè res caderet.
Utile quid fuerit, nugator, parce futurum
Dicere; dic, si, nunc utile quid sit, habes.
Res ubi praeteriit, sera est sapientia; stultum,
Nil ubi mutari jam pote, consilium.

CI.

Ad Eunum, aliena consilia aspernantem.

Consiliis uti qui non vis ullius, Eune,
Te (reor) haud hominem credis, at esse Deum:
Quem tamen esse hominem nihili, solet ipsa docere
Gesta inconsultò res, malè quum cecidit.
Perge miser. Sapiens, Vae soli, clamat; habebit
Nil etenim, in praeceps quum ruet, auxilii.

CII.

De Virtutis laudibus.

Virtutem tibi, Quinte, para: pulcra omnia Virtus
Anteit. Hanc puro in pectore quisquis habet,
Laetus, honoratus, dives ludibria sortis
Ridet, et obscuro in carcere liber agit.
Hac quicumque caret, nescit, quid vera voluptas,
Quid sit honos, quid sint denique divitiae,
Incertamque pavet sortem, celsoque triumphans
In curru servo est vilior indecori.

CIII.

Ad Postumum stolidè audacem.

Multa pavet sapiens, stultus nihil; omnia tuta
Esse putat; caecus, quà via nulla, ruit.
Clamo iterum atque iterum: Serva; locus iste minatur
Lubricus heu! certam, Postume, perniciem.
Omnia me terrent; terret magis omnibus hoc me,
Quòd tibi non faciunt ulla pericla metum.

CIV.

Nil praeter virtutem esse pulcrum, et amabile.

Virtutem quod habet, quodque indicat, hoc ego (pulcrum
Esse reor: Virtus scilicet una placet;
Una subit mulcens mira dulcedine pectus,
Una oculos, mentes et capit implicitas. (Virtus
Nec pulcrum est quidquam, quidquam nec amabile,
Non aliquo se se prodat ubi indicio.
Atque utinam ipsa queat manifesto in lumine cerni!
Terras latè omnes ureret et maria.

CV.

In Cinnam nimiam dotem petentem.

Cur nimiam poscis dotem tibi, Cinna? tuae vis
Stultus an uxoris mancipium fieri?
Quae dotem mulier nimiam tulit, haud putat ipsa
Duci, verùm emptum ducere jure virum.

Digitized by Google

CVI.

De Flacci in amicitiis jungendis prudentia.

Semper amat, semel occepit quem Flaccus amare.
Hoc fit, quòd cautus jungit amicitias;
Nec blanda facie, dulci et sermone movetur,
Sed lentè quaerit, sub cute quid lateat;
Et postquam ingenium, mores, vitamque probavit,
Tum demum placido pectore dicit: Amo.

CVII.

De Caelio se aegrotum invisente, sive de laudibus amicitiae.

Languebam fractus vires, et pallidus ora:
Languentem ut visit Caelius, en valeo.
Quod succis Medici haud poterant, hoc dulcis amicus,
Ut venit, dulci praestitit alloquio.
O melior succis, meliorque potentibus herbis,
O, vitale mihi nectar, amicitia!

CVIII.

In Paullum corporis labes, non animi curantem.

Ostendis Medicis, vitiant quae vulnera corpus,
Quae vitiant animum vulnera, Paulle, tegis;
Vel fatuo tantùm retegis malesanus amico,
Qui, ferro atque igni quae perimenda, fovet,
Permulcetque manu blanda, carumque sodalem,
Dummodo ne offendat, perdere non dubitat.

CIX.

De Theonis laudibus.

Ignarum dicis morum, vitaeque Theona,
Quòd nec amat coctus visere femineos,
Nec fatuos audit scurras, nec perdit ineptis,
Majorum oblitus, tempora longa jocis.
Quid? vitam, et mores mulier docet, aut nebulonum
Turba levis nullo praedita consilio?
Nil doctae prosunt voces, madidaeque lepore
Socratico? ad vitam nil facit Historia?
Omnis et ingenii cultus, causasque latentes
Scrutantem assiduus nil juvat ille labor?
Crede mihi, ignarum quem dicis, Quinte, magistrum
Dic vitae, et morum veriùs eximium.

CX.

In Quintum
prava consuetudine, aleaque se perdentem.

Quinte, fidemque tuam, remque, et te perdere totum
Festinas: multos perdidit ista domus,
Fervet ubi tota multìplex alea nocte,
Alea, quae soli lucra ferat Dominae.
Nam, si quid perdit, solvendi tempus in annum
Differt, nec quidquam ni dare verba solet;
At si quem victrix pervertit, protinus omnes
Nil parcens victo detrahit exuvias:
Has posuit leges, vultu confisa venusto,
Haec miseros cogit non patienda pati.

CXI.

De conjugio malè auspicato.

Quam dixti nuper Divam, nunc dicis Erynnim,
Postume, ubi conjux Gellia facta tua est.
Quae lepidas inter visa est lepidissima formas,
Jam nihil heu! formae, nilque leporis habet.
Qua nisi cum socia te vivere posse negabas,
Hac jam cum socia vivere posse negas.
Sic pereunt, quos non Ratio, sed captus utroque
Ille oculo ad thalami foedera duxit Amor.

CXII.

Laudem labore comparari.

Optas laude frui, et durum fugis, Eune, laborem?
Vis metam in primis tangere carceribus?

CXIII.

Ad Puerum,
laborem gignere vitae commoda, et ornamenta.

Disce, Puer, moneo, duro nec parce labori:
Gignit opes, famam, gaudia vera labor.

CXIV.

Ad Quintum.
Amico nec roganti opitulandum.

Largus opem fer, Quinte, ultro; quicumque rogari
Vult, is vult meriti perdere dimidium.

CXV.

Illum laudibus, praecipuoque honore dignum esse, quem non opes, sed virtutes, ingenuaeque artes decorant.

Pauperies me nuda juvat prae divite censu
Ridentem vestras, Glaucia, divitias,
Argentumque, aurumque, et rura ingentia, et hortos,
Marmoreasque aedes, signaque Phidiaca
Sculpta manu, pulcris et ficta aulaea figuris,
Vecordem et Dominum, singula qui tumidus
Hospitibus monstrat, vel narrat, solus, in ampla
Re, foeno, atque alga vilior aequorea.
Ergo istaec propter qui te cantetque, colatque,
Glaucia, quaere alium. Si quis at extiterit
Aut magno, aut parvo in censu, quem multa supellex
Virtutum, atque artes ingenuae decorent,
Hunc ego cantabo, aut, deerunt si carmina, mirans,
Ut Divûm colimus numina sancta, colam.

LIBER QUARTUS.

EPIGRAMMATA

ENCOMIASTICA.

I.

De Laudibus Ragusae Patriae suae.

Sergi saxa vides, Hospes, praecelsa, Rhacusae
Urbem et suppositis exiguam in scopulis.
Libertas huic pulcra tamen viget usque; coluntur
Usque bonis artes civibus ingenuae;
Omnis et est Italo par cultus; magna virorum
Nec cedunt Italis ingenia ingeniis;
Copia nec rerum deest omnis: docta carinis
Currere nam ponti gens vada velivolis,
Quidquid in externis terrarum nascitur oris,
Id natum sibi cur non putet esse domi?

II.

De Benedicto Stayo.

Vidi egomet (sacri, Phoebo monstrante, Poëtae
Quidquid agunt Manes cernimus et Superi)

Vidi umbram ingentem Neutoni, umbramque Lucreti
Staïadae obscura nocte subire domum.
Nec mora: dia viro scribenti carmina magni
Ad latus hinc atque hinc astiteruut comites;
Alter et inceptum doctrinae luce rigavit,
Alter Musaeo nectare sparsit opus.

III.

Ad Benedictum Stayum
pro recuperata valetudine.

Quem tristi extinctum fato prope luximus, ut te,
Staïade, laeti cernimus incolumem!
Omnibus ut dulci miscentur pectora motu,
Exultantque imi, corde micante, sinus!
Surgimus ut cupidi, ruimusque in colla sodales,
Prodimus ut plausu gaudia laetifico!
Et meritò: quisquis virtutem nam colit almam,
Qui Phoebum, atque artes diligit ingenuas;
Publica res animum cui tangit, saepe juvare
Quam scripto mirè, consilioque soles,
Quid ni, te salvo, sic mentem in gaudia solvat,
Laetitiae ut nullum possit habere modum?

IV.

De Stayo valente.

Staïus ecce valet; sanctae gaudete Camoenae;
Immotum Pindi stat decus, et columen:
Vos vestrum servate diu, si gloria vatum,
Si vestra est vobis gloria cara, Deae.

V.

Ad Thysillum de Benedicto Stayo.

Eximium, et similem priscis nullum tibi vatem
Romana inventum scribis in Arcadia?
Staïada magno quid factum? vivit? haberi
Pastorum coetu pergit in Arcadico? •
Illum etiam priscis reris, Thysille, minorem?
Illum etiam vatem non satis eximium?

VI.

Ad Eunum de Benedicto Stayo.

Cur tibi Staïadem nemo non praeferat, Eune,
Saepe rogas. Paucis dicam equidem ingenuè:
Quod vult Staïades, dicit; tu, quod potes, Eune;
Te versus, versum ducit at ille suum.

VII.

De Varo, et Stayo.

Varus posse negat quemquam clarere Latino
Horum hominum, qui nunc vivimus, eloquio.
Quod verbis negat ille, docet re Staïus ipsa
Antiquo antiquis non minor eloquio.

VIII.

Sub imagine Benedicti Stay.

Staïadae faciem cernis; vis cernere mentem?
Eximii vatis carmina dia lege.

IX.

Ad Benedictum Stayum,
frustra a Lyda, et a Puccino rogatum,
ut aliquid carminis scriberet.

Necdum etiam incaluit, Stay, mens frigida? necdum
Vincuntur blanda ferrea corda prece?
Carmen Lyda tuum poscit sibi; Lyda, jubere
Digna magis, toties carmen inane rogat?
Et rogat heu! frustra: perstas adamantinus, ut quae
Stat rupes mediis horrida in aequoribus,
Nec quòquam cedit, quòquam nec pulsa movetur;
Spumea necquicquam verberat unda latus.
Crede mihi, flecti praestat: jam probra paramus,
Ni victus cedas, dicere multa tibi.
Diceris gelida infelix torpere senecta,
Nec Clario, ut quondam, corda calere Deo;
Diceris jam non vates, quem vatibus aetas
Haec meritò, quot sunt, omnibus antetulit.

X

In idem argumentum.

Crudelis, Lydaeque preces, et carmina dia
Puccini ventos irrita ferre sinis?
Crudelis, duras quae possent flectere quercus,
Flectere te blandis non potuere modis?
Nil scribis, frustra, Stay, tam saepe rogatus,
Mutus et es Phario non minùs Harpocrate.
Saltem ne ferus ah! dicare ac ferreus esse,
Si non vis illis scribere, scribe tibi.

Digitized by Google

XL

Ad Benedictum Stayum
de Rogerio Boscovichio
a gravi morbo valente.

Æger perdiderat luctu Rogerius ambos,
Ambobus nunc fert laetitiam incolumis.
Cur mea nunc, tua cur nunc cessant, maxime vatum,
Quos tulit haec aetas, carmina, Staïade?
Cur non laeti unà testemur gaudia, grates
Cur non certemus reddere Caelitibus?
Communi et Patriae servatum dicere civem,
Ingenio qui se, qui decorat Patriam?
Vel duo, vel melior debet quo munere fungi,
Cur solus fungor munere deterior?

XII.

Rogerio Boscovichio
iterum Roma discedenti.

Cur te iterum reducem conspexi, magne Rogeri,
Curve tuo vesci contigit alloquio?
Anne iterum ut raptus mi sis dolor? an mihi rursum
Obductum ut longo tempore vulnus hiet?
I tamen, i (placitum sic Divis): hanc brevis horae
Pendam ego perpetuis laetitiam lacrymis.

XIII.

De Coma Rogerii Boscovichii a se Latinis versibus expressa ex Italicis Julii Caesaris Cordarae.

Ne coma Rogeri, Thusco quam carmine laudat
Julius, in sola clareat Ausonia,
Sed, linguae quàcumque patent regna ampla Latinae,
Cantetur gentes nota per innumeras,
Haec verti. At quisnam ingenuos aequare lepores,
Nativas Julî quis valeat veneres,
Atque jocos, genus omne, ac venam dulcè fluentis
Eloquii? nemo; non ego; non alius.
Ipse queat dignè, credo, sua vertere solus,
Thusca cui quantùm, ludere carminibus
Cepit ubi Thuscis, tantùm, sermone Quiritùm
Quum prisco ludit, Musa Latina favet.

XIV.

Ad Bernardum Zamagnam.

Quae mihi dictarit versus, Bernarde, rogasti,
Musa, Thaliane, an candida Calliope?
Neutra mihi visa est, auditave: quod mihi de me
Testanti si non credis, utramque Deam
Tute roga; visit nam te nunc, atque canenti
Certatim adspirans utraque Diva favet.
Tempora me laetis transgressum versibus apta,
Si qua cano, ridens utraque Diva fugit.

Digitized by Google

XV.

Ad Bernardum Zamagnam
de ejus Elegia in laudem Canis.

Carmine, quo, Bernarde, Canem super astra locasti,
Ipsum etiam pariter te super astra locas,
Atque novo Insubres percellis lumine, vates
Ante alios multo clarus et igne micas.
Me juvat in dulci visus hinc figere alumno,
Partem in te laudis miror et ipse meae.

XVI.

In diem,
quo Clemens XIII *Pont. Max. renuntiatus est.*

Exere purpureo flavum caput, exere ab ortu,
Lucifer, Auroramque antevolans, niveum
Redde diem, triplicis quo Regni cepit habenas
Clemens, et magno maximus in solio
Consedit; dextra et mitis Clementia, laeva
Adstitit elato torva Themis gladio,
Concordes Divae, sacri comes utraque regni.
Quae simul ut longo res hominum imperio
Utraque Diva regat, referas, bone Lucifer, almam
Hanc lucem ad multas clarus Olympiadas.

XVII.

In idem argumentum.

Os nitidum Eoa profer, jam profer ab unda,
Lucifer, et Solis nuncius auricomi

Redde diem, quo Rex Urbi, Pater obtigit Orbi
Clemens, quem Pietas, quem sibi sancta Themis,
Virtutesque aliae servari ad longa senectae
Optant incolumem tempora Nestoreae,
Ut pulcrè, quod cepit opus, detexere possit,
Ut Latium antiquo restituat decori,
Ut misero, quo nil quidquam corruptius, Orbi
Detergat labes, foedaque flagitia.
Optant: nec rerum Pater, et Rex tam pia vota
Negliget. Hoc mentem nixus in augurio
Vaticinor: referes, referes, bone Lucifer, almum
Saepe diem hunc, nobis gaudia saepe iterans.

XVIII.

De Clemente XIII *Pont. Max.*
vi subita morbi prope extincto,
et paullo post valente.

Noctem, Roma, colas memor hanc, qua tristior ulla
Nunquam, qua nunquam laetior ulla fuit;
Qua prope vi subitae luxisti mortis ademptum,
Qua gavisa Patrem es protinus incolumem.
Digna coli est: luctum brevis abstulit hora; manebunt
(Vaticinor) longis gaudia temporibus.

XIX.

In idem argumentum.

Clementi magno instabat mors pulcra, laborum,
Quos tulit in vita, praemia laeta ferens.
Obtulit instanti se se nil territus ille;
Pallida sed scisso Roma sinu ingemuit,

Et mihi, ait, tantum, proh! Divi avertite vulnus,
Mi tantam ah! miserae avertite perniciem.
Sollicitae valuere preces. Mors jussa recessit,
Sacratoque manus abstinuit capite:
Atque ita discedens: Tibi praemia salva manebunt,
Communi interea vivere perge bono.

XX.

De recuperata valetudine Clementis XIII.

Qui vita fueras nunquam non clarus in omni,
Nunc ipso es visus major in interitu.
Sic, quae clara micat media vel luce, coruscat
Fax tamen obscuris clarior in tenebris.

XXI.

Ad Clementem XIII *mitem bonis, acerbum improbis.*

Cujus habes Agni solium, mitissime Clemens,
Quidquid agis, mores ingeniumque refers:
Nec tamen Adriaci piguit meminisse Leonis.
Ille etiam, quo nil mitius esse potest,
Agnus, ubi Improbitas vult frangi, nescia flecti,
Horrescit rictuque asper et ungue Leo.

XXII.

Ad Clementem XIII *rusticantem.*

Dum te rura tenent, contractae seria frontis,
Regnorum et curas, magnaque consilia,
O Pater, et Thracum turbas, et si qua timentur,
Cuncta sub Albano tristia merge lacu.

Quidquid ages, quoquò flectas vestigia, circum
Te Spes, te circum Gaudia laeta volent,
Ingenui et Lusus, et suavis turba Leporum,
Et Jocus, et vultu Risus hians hilari;
Queis sine nil gelidi fontes, nil florea rura,
Umbraeque et lenes profuerint Zephyri:
Nec tibi decedet fesso de corpore languor;
Nec bene erit nobis, queis pote nil melius,
Nil quidquam in vita jucundius esse, valentem
Imperii quàm te fraena tenere diu.

XXIII.

Ad Eundem e rusticatione Romam redeuntem.

En agite affusi redeuntem rure, Quirites,
Clementem laetis plausibus excipite;
Clementem, qui vos praesens, qui cogitat absens,
Vel cum urbem, vel cum frigida rura colit;
Cui quamquam multò est melius, ne cesserit omnis
Languor adhuc, vestri sedula cura facit;
Cura Patrem camposque inter silvasque secuta,
Cura gravis, Patri sed tamen apta comes.

XXIV.

Ad Romanam Arcadiam,
de Clemente XIII *Pont. Max.*
Parrhasium nemus instaurante.

O nemus Arcadiae, Pastorumque aurea sedes,
Foeda modò, et densis vepribus horridula, (tùm,
Nunc pulcra, atque nitens, et coetus digna Quiri-
Maenalios vatum digna videre choros,

Salve; Aurons non immeritò quam curat, amatque;
Salve, omni Aurontem quae redamas studio,
Illius et niveo servas in marmore carmen,
Illius et multa laude sonas: iterum
Atque iterum mi salve, Aurons quam diligit, omni
Aurontem contra quae pietate colis.
Haec tibi me miro res utraque jungit amore:
Haec facit, agrestes nescio quos calamos (nis
Atque lyrae, atque tubae, silvestrem et Pana Camoe-
Omnibus, et Phoebo laurigero anteferam.

XXV.

De Cajetano Goltio,
canente Clementem XIII *Arcadiae Restauratorem.*

Roma, tibi meritò gaudes, quòd septa ruentis
Largus opum Clemens fulciat Arcadiae;
Gaude etiam, mirus praestanti pectore vates
Quòd tibi, quòdque tuae contigit Arcadiae,
Sublimi nitens caeli super alta volatu
Audit qui voces, et videt ora Deùm;
Inde redux altùm spirat, nec pastor avenas
Tractat, Maeoniae sed canit apta tubae.

XXVI.

Ad Clementem XIII.
Poetarum nomine in quemdam Poetam.

Dum te servatum gaudemus, Maxime Clemens,
Nostraque testamur gaudia carminibus,
Asper, et infestus quidam nos ecce poëta
Increpat, ac tumida voce silere jubet;

Quem quidem erat justum veniam sibi nempe rogare
Ipsi, te viso sospite, quòd tacuit.
Nunc addit culpam culpae, damnandus utroque,
Tam malè quòd tacuit, tam malè quòd loquitur.

XXVII.

Ad Antonium Canovam.
De mole sepulcrali Clementis XIII
Pont. Max.
in Templo Vaticano ab eodem constructa.

Vidi opus, o Canova, tuum, molemque sepulcri,
Et mole in celsa quae tria signa micant;
Vidi, atque admirans perculso pectore dixi:
Magne opifex, magnorum aemule Grajugenûm,
Qualis eris quondam, primis qui tantus in orsis
Æquas Phidiaea marmora sculpta manu!

XXVIII.

De Clementis XIII
Monumento a Canova exarato.

Clementis tumulum decorant quae signa, Quirites,
Turba frequens plausu dum super astra ferunt,
Nescio quis torvusque oculos, vultumque severus,
Atque genas tristi lividus invidia,
Mussavitque diu, ceu visa et denique menda,
Sella, ait, est, Clemens qua sedet, ampla nimis.
Ipsam sic Venerem haud ausus reprendere Momus,
Reprendit, pedibus quae suberant, soleas.

XXIX.

Subscriptum imagini Clementis XIII.

Ora vide magni Clementis: pingier isto
Rex, dices, vultu debuit, atque Pater.

XXX.

De Petro Leopoldo Austriaco
Magno Hetruriae Duce.
Roma loquitur.

O Divae genus Austriados, quo fratre superbit
Caesar, quo gaudet Flora beata duce,
Hetruscis meus adveniens huc Tibris ab oris
Multa mihi de te magnaque rettulerat,
Mitem, magnanimum, nullis non dotibus auctum
Narrans, heroum corpora quae decorant,
Quaeque animos: majora fide narrasse putabam:
Sed tua praesentis factaque cum licuit
Dictaque mirari, clamavi Roma: minora
Veris cuncta meus mi retulit Tiberis.

XXXI.

De Parmensis Ducis Filia
Josephi II *Imper. prima Conjuge*
in Arcadum coetum adscripta.

Hòc erat, hòc, nuper quòd capripedes Satyrisci
Maenalon ingenti non sine laetitia
Lustrabant, agili tollentes corpora saltu;
Hòc, quòd Pan junctis nuper arundinibus

Mulcebat cantuque auras: nova gloria nempe
Accessit nostrae moenibus Arcadiae:
Illa quòd Austriaco juveni nuptura puella,
Magnorum proles incluta Borbonidûm;
Illa, colit quam Parma, ingens quam mox colet Ister
Florentem eximiè laudibus eximiis,
Maenalio scribi gaudet sua nomina trunco,
Diva nec agrestis pars negat esse chori.

XXXII.

De Romanorum Principum Hymenaeis.

Odescalchiadas, Corsinos, Chisiadasque,
Albanosque vide, Roma, tibi quatuor,
Unde ortos nosti magnis claros benefactis,
Quorum viva cluet gloria, Pontifices.
Hae se se ut claro gentes junxere hymenaeo,
Nonne meram spondent Semideûm sobolem?

XXXIII.

Ad Joannem Baptistam Rezzonicum inter Clericos ac Praesules adscriptum, ineunte anno tertio Pontificatus Clementis XIII *Patrui sui.*

Clementi magno quòd tertius incipit annus,
Ex quo Sacrorum fraena tenet solio
Regali exceptus, laetamur pectore toto:
Attamen huic ingens laetitiae cumulus
Accessit, tibi quòd, juvenis venerande, profanam
Caesariem sacra praesecat ipse manu;

Datque togam, panditque viam, qua ingressus, eun-
Quem tenet ipse, olim possis adire locum. (dem,

XXXIV.

Ad Abundium Rezzonicum
Clementis XIII
Fratris Filium
Senatorem Romae declaratum.

Scande jugum laetus Capitoli, quò tua Roma,
Princeps, te niveis provehit alitibus:
Scande, vocant quò te jamdudum publica vota,
Inque omni gliscens pectore mirus amor.
Felix, tanta capis quòd praemia; sed mage felix,
Praemia quòd populo tanta probante capis;
Quòd procerum, et vulgi sic implent gaudia mentem,
Ullus ut haud usquam sit locus invidiae!
Caetera contingunt Fortunae munere cuivis;
Mercedem hanc Virtus vindicat una sibi.

XXXV.

Ad Eundem.

Aurea dum scandis, Princeps, Capitolia; pompam,
Atque tuas laudat dum rude vulgus opes,
Ipsum ego te tota mirabar mente: decorè
Ut tua purpureus tingeret ora pudor,
Ut luxu in tanto nec vultu fastus inesset
Ullus, nec nubes ulla supercilio;
Mirabar, mecum et tacitus: quàm dignus honore
Omni est, qui tanto nil ab honore tumet!

XXXVI.

Ad Pium VI *Pont. Max.*

Jure Pius dici vis nomine, quem negat omni
Eximiè in vita nemo fuisse pium.
Esse pium regni primo quem sentit in ortu,
Nec cohibet tacito gaudia Roma sinu,
Sed tibi certatim plauditque, ac fausta precatur,
Tamque piis nil non sperat ab auspiciis.
Et meritò: Pietas quod regnum condidit una,
Una etiam prisco restituet decori.

XXXVII.

Ad Romam
de Pio VI,
Vaticani templi sacrarium dicante.

Sexto plaude Pio. Petri sacraria templo,
Vota quod optarunt publica, digna vides.
Tentavere alii frustra; tibi, Roma, favente
Ille Deo, magnum denique fecit opus.
Jamque dicat: plausum latè da, Roma; dicanti
Ipsos, credo equidem, plaudere Caelicolas.

XXXVIII.

De imagine Pii VI *Pont. Max.*

Externam ut fingunt faciem, sic fingere mentem
Marmore si possent, aere vel Artifices;
Non foret haec tantùm Sexti viventis imago,
In terris Sextus viveret at geminus.

Digitized by Google

XXXIX.

De Roma, Pio VI *absente.*

Sextus abest; sola interea quid Roma? veretur
Absentem, et memori pectore fida colit.
Quàm valeat, quid agat, quò venerit, usque requirit,
Nata velut, caro quae timet usque patri:
Sic desiderium verbis testatur amicis:
Sextus abest; Sexti nomine Roma sonat.

XL.

De Pio VI *iter faciente.*

Auget, Sexte, tuam passim praesentia famam;
Auditis in te plura vident populi;
Et laeti haud Romae tot de te mira loquutae,
Verum oculis gaudent credere quisque suis.
Nescio quid claro nimirum prodit ab ore;
Quod mulcet, mentes quod rapit attonitas;
Quo viso exclamant sacra formidine rapti:
Corpus humi pronum sternite; Numen adest.

XLI.

Pio VI *Pont. Max.*
ad paludem Pomptinam invisendam
proficiscenti.

I, Pater, i, quos ante palus limosa tegebat,
Vise agros, curis jam loca culta tuis.
Appia jam teritur mannis; latè obsita junco
Quae fuerant, laetis frugibus arva nitent;

Jussum pergit iter gravis unda, et devius ante
Amnis fraenatis in mare fertur aquis.
I, cupidos jam pasce oculos; i, cerne, secundet,
Cujus habes solium, quàm tua vota Deus.
Ille operum princeps, operum meta ille tuorum,
Quidquid agis, magna promovet usque manu.

XLII.

In idem argumentum.

Magnanimus fert se Pomptinum Sextus in agrum,
Atque suum praesens visere gestit opus:
Magnum opus, haec mirans aetas quod suspicit, aetas
Omnis quod semper postera suspiciet.
Laetus eat, laetus maneat, redeatque, beatos
Ab se se fieri gaudeat et populos.
Scilicet eximiis haec Regibus una voluptas
Pro cura, et factis redditur eximiis.

XLIII.

De vite enata
e basi marmorea in colle Quirinali.

E saxo prodit vitis. Gaudete, Quirites,
Atque omen laetis mentibus accipite;
Dicite: foeda palus gleba tulit ubere fruges,
Dura uvas, Sexto Principe, saxa ferunt.

Digitized by Google

XLIV.

Ad Pium VI *Pont. Max.*
de duobus signis in colle Quirinali positis.

Vincere Alexandrum, qui vicerat omnia, durum est;
Durum est indomitum vincere Bucephalum.
Stant obnixi ambo non cedere. Roma, timori
Parce tamen: magno cedet uterque Pio.

XLV.

Ad Antinorium Joannem Architectum
gratulatio.

Invidiae prope jam discerptus dente cruento
Crevisti victa major ab invidia:
Vasta tuae moles arti jam paruit, ingens,
Ardua; quò jussus, pectora flexit Equus;
A Borea Solis jam se convertit ad ortus
Immani docilis corpore Tyndarides.
Roma sonat latè plausu: Salve, inclyte, clamat,
Salve Opifex magno digne reperte Pio;
Digne operum ad partes magnorum saepe vocari,
Augustus Caesar queis sua posthabeat.

XLVI.

Ad Clementem Franciscum Bavariae Ducem
inter Arcades cooptatum.

Arcadiae rupes, Romanaque Maenala, vatum, et
Sanctarum sedes ardua Pieridum;

Et virides ripae subter, Tiberinus et almo
  Qui virides ripas perfluis amne Pater,
Gaudete. Ille ortus Regum de sanguine Clemens,
  Carminis ille artem doctus Apollinei,
Quamque probat Mavors artem, et Tritonia Pallas,
  Arcadio dici nomine Pastor amat.
Jamque aderit, jam vos lustrabit, rura beata;
  Pastoresque inter, silvicolasque Deos
Percurret, patruus quam trivit Caesar, avenam,
  Phoeboque, et patruo Caesare digna canet.

XLVII.

Ad Card. Julium Somaliam.

Eximium Sextus tibi quòd, Somalia, honorem
  Largitur, toto gratulor ex animo;
Sed magis ex animo tibi gratulor, hoc quòd honore
  Dignum Roma omnis te putat eximio;
Sexto et certatim nemo non plaudit, honorem
  Praesule in eximio quòd locat eximium.

XLVIII.

Ad Cardinalem Flanginium.

Romano clarus quòd fulges denique in ostro,
  Id, Flangine, tibi gratulor ex animo;
Sed magis hoc, tibi delato quòd gaudet honore
  Clarior ob titulos Roma futura tuos;
Nemo tua Sexto quòd cessat plaudere causa;
  Virtuti solvi praemia quisquis avet.

XLIX.

Ad Card. Aloysium Turrigianum.

Re praestas, praefers quod nomine, Turrigiane;
Flectere non ullae te potuere vices,
Aëriam ut turrim nequeunt inflectere venti.
Æolii circum turbinis ira fremit;
Jam cadit impulsu valido prostrata cupressus,
Eruta jam quercus, pinus et alta jacet:
Illa sua stat mole, usquam nec flectitur; ictusque,
Incursusque omnes ardua perpetitur.
Macte animis, macte o praestanti robore mentis
Magne Vir: invictum te dabit ista, Deis
Te dabit ista parem Virtus: spe decidet omni
Edomita elisis unguibus Invidia.

L.

Ad Cardinalem Durinum.

Virtutes vulgare tuas, Durine, parabam,
Atque meis caelo attollere carminibus.
In manibus cytharae; jam vox exibat in auras:
Torva sed ex sacro prodiit una choro,
Et roseas suffusa genas frontemque pudore,
Pulcraque transverso labra premens digito,
Audacem vetuit meritae quidquam hiscere laudis.
Ergo adsto admirans, attonito et similis,
Atque tua (hoc certè potis est vis nulla vetare)
Verso animo, et tacita mente colo decora.

Digitized by Google

LI.

Ad Card. Ignatium Buscam.

Magne Vir, imperii, Roma plaudente, ministrum
Jure sibi magnus quem jubet esse Pius,
Lora cape, ac miseros horrenda a caede Quirites
Eripe, latronum quos premit improbitas.
Rem serva, vitamque priùs: dein aurea saecla
Augusti saeclis condito laeta magis.

LII.

Ad Eundem
de poena vulgò dicta: il Cavalletto.

Quid tum Roma fuit, miseros cum saeva Quirites
Latronum premeret nocte dieque manus;
Cum rem, cumque caput vix spes foret ulla tuendi
Eversis foedè legibus, incolume!
Quid fuerit, memini; quod nunc est, laetor; acerno
Nec cesso grates reddere laetus equo;
Et clamo: Pallas Trojam vastavit, acerno
Romam Busca (omnes plaudite) servat equo.

LIII.

Ad Octaviam Odescalchiam.

Sponsi dona tui, raras, Octavia, gemmas
Inspexi multo lumine fulgidulas
Admirans; tacitus mecum dein talia: Gemmae
Fulgidulae, vobis jam cadet omne decus,

Digitized by Google

Illa ubi vos capite in flavo, collove locarit
  In niveo: stellis ut cadit omne decus,
Sol ubi sidereo coetu se se intulit almus,
  Unus et auratis fulgurat in radiis.

LIV.

Ad Eandem.

Luce micant pulcra tot gemmae, Octavia, Sponsi
  Dona tui; gemmis tu quoque pulcra micas;
Nec tamen a cultu es tu pulcrior; ipse decorem
  Sed magis a pulcro corpore cultus habet.

LV.

In Nuptiis Octaviae Odescalchiae, et Nicolai Rospiliosi Ducis Zagaroli.

Laeto cuncta sonant plausu; laetus venit Hymen,
  Et gerit in nivea vincla facemque manu.
Ædibus e patriis jam prodi, Octavia; cari
  Ædes et juvenis, jam tua tecta, pete.
Quid precer interea laetum, faustumque? rogari
  Quid tibi tu Divos, dia puella, velis?
Hoc precor, hoc posci tibi vis, reor, ipsa: paternae
  Omnigena cedat nil tua laude domus,
Virque tuum tuus exaequet virtute parentem,
  Tuque tuae matris tot decora aequipares.
Et, quae nascetur proles tibi multa, tuorum
  Sit fratrum eximiis dotibus assimilis.
Evenient: probat ipse preces, ac, ter face mota,
  Haec mea festivus vota secundat Hymen.

LVI.

Octaviae Odescalchiae novae Nuptae e patria domo exeunti.

Felix praestanti vir conjuge! Tu quoque felix
Praestans eximio nupta puella viro!
Queis meritò plaudit, quos et colit inclyta Roma,
Miraturque, amplis laudibus et cumulat;
Esse cupit vestro et surgent qui sanguine, vobis,
Et proavis similes, fratribus et proavum.

LVII.

Ad Octaviam Odescalchiam Zagaroli Ducis conjugem de ejus fecunditate Urbi jucundissima.

Auges prole domum quòd dulci, Octavia, totam
Latè Urbem video fervere laetitia.
Nimirum, passim gliscunt quae gaudia, laudant,
Et caelo attollunt teque, tuumque virum.
Quippe etenim haec causa est laetandi, vestra futura
Quòd proles vobis creditur assimilis.

LVIII.

De Victoria Odescalchia Romam advecta.

Siqua tumet pulcram ob faciem, formaeque leporem,
Ponat jam fastus victa puella suos.
Argivae haud impar Helenae Victoria linquens
Ripam Arni, flavum se tulit ad Tiberim:

Haec, quòcumque venit, formas una anteit omnes,
Formosae in cunctis nomen et una refert.

LIX.

De Victoria Odescalchia,
ejusque gnata Flaminia in Arcadum coetum
cooptatis.

Totque, ac tam raris gnatam Victoria praestet,
Flaminia an matrem dotibus, ambigitur;
Hoc omnes inter sed planè constat, utraque
Esse nihil toto cultius et melius
Femineo in coetu, nec pol! fore, ni Dea summis
Huc aliqua e caeli sedibus adveniat.
Jure igitur Matremque olim tam laeta recepit
Nympharum sacras Parrhasidum in tabulas,
Et Nata in tabulas quòd nunc dat nomen easdem,
Parrhasii nec pars abnuit esse chori,
Exultat, partumque sibi testatur honorem
Et plausu, et laetis cantibus Arcadia.

LX.

Ad Sigismundum Chisium
de Flaminia, et de Principibus Odescalchiis.

Livius hanc genuit, peperit Victoria Nympham,
Quae tibi, magne, parat nubere, Chisiade:
Nata nec eximios non aequat laude Parentes
Corporis atque animi dotibus eximiis.
Dì faciant, qualis, qualique est edita stirpe,
Tali prole tuam compleat illa domum!

LXI.

De Nuptiis Sigismundi Chisii, et Flaminiae Odescalchiae.

Et saepe audivi te, Sigismunde, loquentem,
Magnumque admirans ingenium obstupui;
Et tibi desponsae vidi quondam ora puellae,
Visaque Spartana pulcrior est Helena.
Ergo connubii, maturo tempore, vobis
Aurea dum sanctus vincula nectit Amor,
Quid precer? O Superi, prolem his concedite, Ma-(trem
Quae facie, Patremque ingenio aequiparet.

LXII.

Ad Romam.
In funere Flaminiae Odescalchiae Chisiae.

Optatam ut prolem vitales fudit in auras,
Chisiadum et claro consuluit generi,
Aurea mortales coetus, terrasque reliquit,
Atque domos abiit Flaminia in superas.
Illa quidem felix, nec fleri digna; sed eheu!
Conjux, heu genitrix, et pater unanimis,
Et soror, et fratres, altum queis vulnus adegit,
Roma, tibi tristes eliciunt lacrymas!
Hos ploras? ipsam te plora; nam tibi, Roma,
Eximium hinc abiens abstulit illa decus.

LXIII.

Ad Balthasarem Odescalchium de se audiente carmen ab eodem scriptum in laudem Autumni.

Autumnum exegi Romae, caruique beati
Ruris non laeto pectore deliciis;
Autumnum sed tu dum, Balthasar optime, scribis,
Pingis et agrorum gaudia mirificè,
Urbe procul tecum rapior, rurisque beati
Hercle fruor laeto pectore deliciis.

LXIV.

Ad Eundem de carmine, quo Hyemem laudat.

Tristis hyems antehac mihi, Balthasar optime, visa est,
Pigra gelu, nigris horrida turbinibus,
Digna odio, nullis non probris digna; sed illam,
Magne, tuo dum tu carmine concelebras,
Incipit en eadem grata, et jucunda videri,
Et dici verno tempore laeta magis.
Nimirum, ut carmen possit convertere mentem,
Audieram; nunc re doctus id experior.

LXV.

Ad Balthasarem Odescalchium, se ejus carminis lectione nunquam satiari.

Tale mihi saevus carmen si diceret hostis,
Fratre mihi fieret carior ille meo;

Quid, tu cum dicis, quo nil mihi carius uno est,
Junctius et sanctae foedere amicitiae?
Incendor totis flammato corde medullis,
Inque tuo exulto, Balthasar, ingenio; (men,
Atque iterum, atque iterum posco gratum mihi car-
Dulci unquam fio nec satur ambrosia.

LXVI.

Subscriptum imagini Balthasaris Odescalchii.

Odescalchiades hic Balthasar, inclytus ille
Musarum cultor, fama, patrocinium.

LXVII.

Inscribendum hortis Alexandri Card: Albani.

Quales Luculli vidit, seu Caesaris hortos
Roma vetus, tales hic nova Roma videt.
Hospes, Alexandri mirare ingentia facta:
Antiquum Patriae reddidit ille decus.

LXVIII.

Ad Ignatium Boncompagnium,
quo die inter Romanos Praesules adscriptus est.

Ignati, violae nunc te color almus, at olim
Lucida Sidonio murice lana teget;
Forsitan et niveo mutabis rubra colore
Texta, premetque tuum trina corona caput.
Id si contigerit, gaudebo nempe; juventae
Sed memor in primo limine qui fueris,

Laetitia in tanta nil mirans; debita, dicam;
Debita erant illis talia principiis.

LXIX.

Ad Eundem
de literati hominis solitudine.

Secretum a turba possum te dicere, solum
Haud possum, quamvis te loca sola tenent,
Ignati; nam te cum magno saepe Marone,
Saepe ferunt magno cum Cicerone loqui,
Saepe etiam vafro Flacci sermone teneri,
Sparsaque Cecropio dicta probare sale.
Hos nactum comites, quisnam te dicere solum
Audeat, urbano es quòd procul a strepitu?
Mi certè solus nunquam minus esse videris,
Quàm cum isto soli contigit esse modo.

LXX.

Andrea Joannetto Episcopo Himeriensi,
et Administratore Archiepiscopalis Eccl. Bononiensis
Bononiam adeunte.

Felsinei cives, vestrae si gloria gentis,
Si Patriae dulcis pectora tangit amor,
Gaudete, hic vestrae talis quòd contigit urbi
Magnorum Praesul munere Caelicolûm;
Qui vigiletque, gregique abigat furesque, luposque,
Et facilem ductor monstret ad astra viam;
Nec duris instet jussis, at voce morantes
Blandus, et exemplis incitet usque suis.

Haec ego polliceor, nec spe malè ludor inani:
Est aliquod Sexto tam placuisse Pio.

LXXI.

Ad Laurentium Riccium
Praepositum Generalem Societatis Jesu.

Optarent nostrae cum te laudare Camoenae,
O Pater, o gentis fama decusque tuae,
Continuò iste tuus pudor obstitit. Ergo negantem
Aggressa est tali callida Musa dolo:
Parce metu, dixit; Sapiens laudabitur unus:
In nostro Sapiens carmine (1) solus erit.
Sic pudor elusus; mutato nomine, sic te
Extulimus meritis laudibus astra super.
Nemo etenim in populo non sensit, scilicet uni
Ille tibi ignotus quis fuerit Sapiens.

LXXII.

Ad Convictores Seminarii Romani,
qui Praepositum Societ: Jesu publicè laudarant.

O flos Italiae, pubes generosa, beatam
Si quis Lojolae dicere vult sobolem,
Quòd multa illorum cumulastis laude parentem,
Dicturum id verè non ego diffiteor.

---

(1) Poeta loquitur de elegia, cujus titulus est "*Ad Amplissimum Praesulem suppressa nomine*" inter alias suas elegias Cremonae typis edita an. 1772.

Illa tamen multò esse beatior est mihi visa,
Tales eduxit sedula quòd juvenes;
Praestantes Phoebi, praestantes Palladis arte,
Praestantes grato pectore, et ex animo
Gaudentes, altrix ipsorum nacta parentem
Munere quòd Divûm est eximio eximium.

LXXIII.

In laudem Cardinalis Zeladae.

Quid valeat, qui vir tempus non prodigit ullum,
Discimus exemplo, magne Vir, usque tuo;
Publica nam fungens privataque munia centum
Nullum non munus fungeris egregiè.
Una dies vincit mensis longi acta, labori
Magno ubi se magnum junxerit ingenium.

LXXIV.

De libro cuidam e Proceribus oblato.

Do parvum hunc librum magno tibi. Thure pusillo
Placari magnus Jupiter ille solet.

LXXV.

De Aulo sene,
Patriae suae res perpetuò curante.

Sis licèt annosus, toto et sis vertice canus,
Non tamen idcirco te reor, Aule, senem.
Ille senex dici est dignus, qui cessat: agendo
Magnum aliquid, Patriam qui juvat, est juvenis.

LXXVI.

De suis,
et Hieronymi Pompej versibus.

Carmina, Pompej, mea cum tot laudibus effers,
Ipse mihi videor scilicet esse aliquid;
Sed conferre tuis cepi ut mea carmina, rursum
Non mi aliquid videor, prorsus at esse nihil.

LXXVII.

Ad Amplissimum Praesulem
Honoratum Cajetanum.

Maeonidem laudas, mequè uno carmine, Princeps:
Auctor mi laudis perplacet et socius,
Dicere nec possum, quid sit jucundius; hercle
Utrumque est dulci dulcius ambrosia.
Utroque haec gaudet mea Musa, et posse videtur
Inter Pierios ire superba choros.

LXXVIII.

Ad Puccinum,
Auctoris carmina recitantem.

Sic mea mi recitas, Puccini, carmina, ut hercle
Illa rear, quàm sunt, esse venusta magis;
Ac tumeam fastu, nugas nec ludere inanes
Mi videar, Phoebi at numine digna loqui.
Fastus at hic brevis est; rursus me agnoscere cogor,
Ista tuae ut vocis constitit illecebra.

Digitized by Google

LXXIX.

Ad Josephum Taruffium.
Poeta respondet ejus Elegiae quae sic incipit:
" Carmina Grajorum cepit qui vertere primus ".

Non mihi ego tantae merui praeconia laudis;
Illa meus nec fert, dulcis amice, pudor.
Quòd priscos miror vates, doceoque juventam
Magnorum ad normam scribere Grajugenûm;
Quòd nostri fucumque odi pigmentaque saecli,
Laudis (deme alias) haec modò summa mea est:
Hac utinam Romae prosim, gignamque poëtam
Magnum aliquem, atque tibi, magne vir, assimilem!
Tunc dicam: tantae merui praeconia laudis;
Tunc feret illa meus, dulcis amice, pudor.

LXXX.

De Nicolao Azara
Hispaniarum Regis Oratore,
facinorosis hominibus infensissimo, et publicae quietis studiosissimo.

Hispanum quae turba forum scelerosa frequentas;
Hic malè tuta, alium jam tibi quaere locum.
Hunc sapiens Azara locum regit; ille severus
Æqua fovet vigili jura patrocinio;
Atque sibi, atque suo regi primum decus esse
Nil praeter justum velle piumque putat.
Hunc, Superi, servate Urbi; pacalis olivae
Huic meritum sacra cingite fronde caput.

LXXXI.

In solemni ingressu
exteri Oratoris apud S. Sedem.

Romuleam inveheris dum rite Orator in urbem,
Atque teris curru divite Flaminiam,
Et pompam, sumptusque tuos, vir magne, Quirites
Mirantur densi mentibus attonitis;
Ipsum mirantur sed te magis hercle, tuasque
Certatim laudes sidera ad alta ferunt; (perbos,
Nec jam aurum, aut vestes memorant, currusque su-
Sed, quo nil Urbi gratius est, Dominum
Magnanimum, facilem, sapientem, suaviloquentem,
Nullis non carum dotibus eximiis.

LXXXII.

De Venetiis.

Dum Venetam se se jactat Neptunus ob urbem,
Reddidit haec fratri Jupiter: Ista, tuam
Quam dicis, Neptune, urbem, tua dicier ipsa
Nolit, te victo, quae tua regna tenet;
Nec servit pelago, verùm imperat, Adria latè
Quà patet, edomiti magna maris domina.
Nec magna est, aedes media quòd condit in unda,
Sed sibi quòd regnum condidit eximium;
Regnum, Fortunae possit quod vincere fluctus,
Quasque ferunt rebus tempora longa vices.
Jupiter haec; doluit Neptunus: verba Tonantis
Laudarunt laeto Caelicolae fremitu.

Digitized by Google

LXXXIII.

De nuptiis Joannis Vidman
Patricii Veneti.

O praestans juvenis, cum te, diamque puellam
Candidus aeterno foedere junxit Hymen,
Urbs maris Adriaci regnatrix laeta favoris
Vultuque et plausis signa dedit manibus.
Nam quae vos novit, vestros novitque parentes,
Novit avos, proavos, et proavum proavos
Omnes omnigena praestantes laude, suaeque
Ingens et decus, et praesidium Patriae,
Conjugio ex istó nil parvum sperat, ituram
Sed, quà cara patrum gloria praegreditur,
Progeniem, Venetam quae rem servetque, superque
Astra manu fortis consilioque ferat.

LXXXIV.

Viro amplissimo Hieronymo Juliano
Oratori Veneto
Roma discedenti.

Urbis deliciae, moesta discedis ab Urbe,
Quae memor haud unquam desinet esse tui.
Tu quoque sis, facito, memor illius, ac tibi semper
In medio haec sedes haereat alma sinu:
Utque tuas cupidè laudes Roma usque loquetur,
Sic Romae usque tuo nomen in ore sonet!
Pendeat ambiguum, dici tu carior illi,
Carior an dici debeat illa tibi.

LXXXV.

Ad Augustinum Tanam
de ejus poetico augurio Neapolis Regi inscripto.

Legi, Tana, istud, supremo in vertice Pindi
Quod tibi dictavit Delius, augurium:
Legi equidem dignum, quos laudas, Regibus, isto
Dignum, quo polles, magne vir, ingenio.
Jurè tibi liquidis plaudit Sebethus ab undis,
Jurè tibi flavo Tibris ab amne pater;
Praesentemque alter praesens complectitur arctè,
Alter ut absentem nocte dieque vocat.

LXXXVI.

Ad Eundem
de ejus diversoriolo.

Tana, tuam vidi latebram, placuitque. Pusilla
Quàm magis est, vati tam magis apta bono est.
Ædibus ex magnis nil magnum prodit. Homeri
Hospes amat parvas Calliopea domos.

LXXXVII.

De Ignatio Venino S. J.
eximio Oratore,
concionem habente de Gloria Beatorum.

Ludimur? an Divùm patuit penetrale? pyropo
Cerno urbem, et flavis undique chrysolitis
Fulgentem clarè, quam pulcro interluit amni
Torrens ambrosio dulcè fluens latice.

Digitized by Google

Haec illa, haec Divûm sedes, haec magna beatis
Civibus a magno Numine structa domus:
Talia jactabam, caeli dum regna potenti
Veninus mirè pingeret eloquio;
Nec jam audire, mihi sed cernere cuncta videbar;
Quum subitò fari desiit (hora nimis
Praepete desierat lapsu brevis): ilicet omnes
Mi penitùs toto e pectore laetitiae
Exciderunt, animoque elapsa ingentia, quae me
Æquarant magnis, gaudia, Caelitibus:

LXXXVIII.

De Eodem,
mirificè de officio conjugum
disserente:

Orantem sacra Veninum nuper in aede
Miransque, horrescensque, attonito et similis
Audivi, et mecum: Salve, o salve, unice, dixi;
Orator, cui vel Tullius invideat:

LXXXIX.

Ad Eundem,
quum concionari desiisset:

Desiit audiri tua vox, Venine, sed alto
Illa mihi penitùs pectore fixa manet;
Atque utinam evelli possit! nam postmodo quidquid
Audiero, metus est, ne malè displiceat:
Ut quaecumque olim fuerant jucunda palato,
Gustata incipiunt nil sapere ambrosia:

XC.

Ad Corvinum
de Onuphrio Minzono clarissimo concionatore.

Minzonum dicis tantùm, Corvine, docere:
Id fieri quànam possit, ego haud video.
Non etenim ludicra docet, nec inania rerum,
Verùm, aeterna homini pendeat unde salus;
Quidnam servatum caelo queat addere, quidnam
Neglectum horrendis mergere suppliciis.
Haec quicumque docet, non menti lumina tantùm
Praefert, cor penitum spe ciet, atque metu.

XCI.

De Homeri Iliade.

Caetera privatis vatum scripta; Ilias una,
Rex Macedo ut dixit, regibus apta legi.

XCII.

Ad Homerum
de ejus carminibus.

Te multi caecum perhibent; sed carmen, Homere,
Illi quod perhibent, id negat hercle tuum;
Te te ipsum et clamat nil non vidisse, priùsquam
Nostris, quae cantas, subjiceres oculis.
Tot variam rerum speciem, formasque, colores
Et pingi a caeco qui putat omnigenos,
Dum te oculis caecum frustra contendere pergit,
Dumtaxat caecum se probat esse animo.

XCIII.

Ad Marcum de Homeri carmine.

Marce, tibi longum est divini carmen Homeri,
Mi magis atque magis, quod placet, usque breve est.

XCIV.

De poetis Grajis opificibus Grajis comparatis.

Miraris Grajo priscos tu in marmore vultus,
Ductaque sollerti signa venusta manu.
Miror ego formas Dircaei vatis, Homeri
Formas divina miror in Iliade,
Nil ubi non rerum vivit, spiratque; tuentem
Nil non sic pulcris lactat imaginibus,
Ut, nugas veluti, puerûmque crepundia, spernam
Æraque Lysippi, saxaque Praxitelis.

XCV.

Laudat Catullum.

Servatus Passer tibi, Lesbia, voce Catulli est,
Cui vitam aeternis versibus ille dedit.

XCVI.

Ad Ciceronem de ejus Scriptis.

Magne places, Tulli, seorsum; componere sed te
Cepi ubi scriptorum cuilibet, usque adeò
Percellis mentem attonito, garrire putentur
Ut mi alii, solus verba diserta loqui.

XCVII.

Ille se multùm profecisse sciat,
cui Cicero valde placuerit.

QUINTIL.

Profecisse putas te multùm, quòd tibi, Tullî
Aurea prae cunctis scripta, Sabine, placent.
Atqui ni placeant prae cunctis, non ego paullum
Psofecisse putem, sed magis hercle nihil.
Non bonus est oculis, non prorsum caecus at ille,
Cui Sol est cunctis fulgidior facibus.

XCVIII.

Ad Æneam de sidere ominis causa oblato.

Candida cui profugo clarum facit omina sidus,
(Quod credo ipsa suis Diva Venus manibus
Aureolum astrorum coetu a fulgente refixit,
Utque facem, obscuris praetulit in tenebris)
Parce metu; periere aliis, tibi Pergama restant,
Fatorumque ordo pulcrior exoritur;
Cui reges Asiae, cui victrix Graecia, vel si
Ulla unquam gens est clarior, invideat.

XCIX.

Ad Eundem.

Quid furis invisam contra, Dux magne, Lacaenam
Certus feminea spargere caede manus?
Non Paris, Iliacos mulier non hospita muros
Vertit, et antiquas proruit igne domos;

Sed Juno, et magno saevus pater ille tridente,
  Diva sed e summi vertice nata Jovis.
At regit invicto qui Jupiter omnia nutu,
  Et gentem in summo nunc locat Argolicam,
Fòrs idem, versa Fatorum lege, vocabit
  Amissi Teucros culmen ad imperii.

C.

Ad Aulum de Petro Metastasio.

Non omnis periit vatum flos, Aule; querelis
  Parce; suum doctae stat decus Arcadiae.
Quamquam vestrates primi periere poëtae,
  Nostras vivit adhuc, Aule, Metastasius.

CI.

Ad Poetas de Petro Metastasio.

Luce sua heroas perfudit; clarior ipse
  Luce sui Petrus fulgurat ingenii.
Vatum turba, sile: toto ut laudetur in aevo,
  Ille nihil vestris indiget ingeniis.

CII.

Ad Corillam de Phoebi erga eam amore.

Dilexit Phoebus Daphnen Peneida; amore
  Nunc idem fervet, docta Corilla, tuo;
Et tibi grandiloquos dat cantus, et tibi complet
  Ipse suo pectus numine magnanimum;
Sublatamque altè, nil et mortale sonantem
  Ostendit passim gentibus attonitis.

Quàm tua sors praestat! Divae formam abstulit illi
Phoebus amans, te Dìs efficit assimilem.

CIII.

De Verzae (1) *laudibus.*

Hìc sedit, cecinit sub lauru hac Verza; canentem
Audivere animis Arcades attonitis;
Illius et plexas Phoebea hinc fronde coronas
Certatim flavis imposuere comis.
Alto Romulidûm sonuerunt omnia plausu,
Et Tiberis laetis pulcrior ibat aquis.
Haec vidi, haec rarae gavisus laude puellae
In lauri scripsi cortice Daphnis ego.

CIV.

Ad Amaryllin (2) *abeuntem.*

Hìc quòd eras, nuper gaudebat Parrhasis ora,
Et vatum est tota quidquid in Arcadia.
Hinc quòd abis longè, moeret nunc Parrhasis ora,
Et vatum est tota quidquid in Arcadia.
Nil mortale etenim cecinisti, dia Amarylli,
Sed canit in Pindo qualia Calliope.

---

(1) Sylviae Curtoniae Verzae Veronensis, de qua plura scripsit Hippolytus Pindemonte, et Balthasar Odescalchi.

(2) Theresiam Bandettiniam, inter Arcades Amaryllin Hetruscam, clari nominis poetriam.

CV.

De adventu Eurynomes inter Arcades.

Arcadium nemus, et celsi dumeta Lycaei,
Antraque muscosis roscida pumicibus,
Fluminaque, et liquidi fontes, gaudete: beatas
Pastorum ad sedes huc venit Eurynome:
Quàque venit, perfusa novo micat aura lepore,
Et viret, et florum germine vernat humus.
Ut Divam excipiunt, laetae ut comitantur euntem
Naïades Nymphae, Nymphae et Hamadryades!
Ludor, an e patrio rursum huc migravit Olympo
Candidus, et niveos pascit Apollo greges?
Non ludor; videoque Deum, noscoque: sub illa
Rupe sedet magno proximus Astridio,
Atque viro quiddam narrat, fortasse futuros
E dia pandens Arcadas Eurynome.

CVI.

De Eadem.

Eurynome Arcadias coluit quondam Dea sylvas:
Fallor, an hoc iterum nunc subit illa nemus?
Se certè prodit vultuque et corpore toto
Quae possit magnas forma decere Deas;
Et circum ludit manibus per mutua nexis
Triplex composito Gratia juncta choro.
Non fallor. Salve, o Charitum formosa decentum
Mater; adesque tuis Arcasin, Eurynome.

CVII.

Ad Eandem.

Eurynome, o Charitum mater, laeti Arcades aram
Hanc tibi Parrhasio ponimus in nemore;
Addimus et vario plexas de flore corollas,
Munera parva, tuae, Diva, sed apta comae;
Concordesque unà sic mente ac voce precamur:
O Dea, Parrhasium saepe revise nemus,
Tuque, tuumque genus, Charites, hinc pellite, si quid
Insulsi restat, si quid et illepidi;
Et facite, ut quivis Arcas madeatque lepore,
Et sapiat, vester quàm sapit Astridius.

CVIII.

Ad Catharinam Justinianam
Balthasaris Odeschalchii
Ducis Caeritum uxorem,
more Indico cultam.

Indorum tales habeat si terra puellas,
Qualis cultu Indo, Caeria, conspiceris,
Extremas iret mundi mercator in oras,
Non aurum, et caros quaereret ut lapides,
Sed, quae aurum, lapides quae caros vincere posset,
Duceret ut sedes inde aliquam ad patrias,
Europam specie quae mira incenderet omnem,
Nec sineret priscam nomen habere Helenam.

CIX.

Ad Victorium Alferium de ejus Tragoediis.

Apta parum saeclo molli sunt fortia, dictat
Quae tibi, Victori, carmina Melpomene.
Incipe, quod pronum est, enervi natus in aevo
Enerves tandem scribere versiculos:
Degener, ac Tragicos jamdudum oblita cothurnos
Tota tibi palmam deferet Ausonia.
Palladiis vates ridetur dignus Athenis,
Regnat ubi, mentes mollit et usque Venus.

CX.

Ad Eundem in idem argumentum.

Hirsutum legi carmen, placuitque, severa
Ut mulier, comptu quae placet horridulo.
Hoc decet, hoc Tragicum, Victori: molliat aurem
Glabra modis aptans verba Metastasius.

CXI.

Ad Eundem in idem argumentum.

Quae scribis, nequeo, Victori, scribere; at hercle,
Quae scribis, quàm sint mira, videre queo;
Ac te Pegaseo vectum trans nubila dorso
Stratus humi attonito pectore suspicio,
Et magnos laudo nisus, clamoque, profundos
Admirans sensus, robur et eloquii:
Salve, o Cecropio, salve, o vir digne theatro,
Sole Sophocleis aemule carminibus.

Digitized by Google

CXII.

Ad Victorium Alferium
de ejus Tragoediarum obtrectatoribus.

Lividuli carpunt tua carmina: nunc mihi demum,
Victori, vates diceris eximius.
Multa etenim dicunt, possunt nec dicere quidquam,
Approbet auditum candida quod Ratio;
Quod non contemnat, non prorsum despuat, ortum
Nec sciat ex animo futile lividulo.
Sic utinam semper carpant tua carmina, teque
Ornent, dum cupiunt laedere lividuli!

CXIII.

Ad Eundem de ejus Tragoediis.

Cecropiam ad legem tibi scripta Tragoedia, quid si
Non habeat similem Cecropio populum?
Nempe cadet; nec te, vates cordate, sed ipsum,
Crede mihi, arguerit stultitiae populum.

CXIV.

Ad Quintum affirmantem,
in Alferii Tragoediis magis conatum, quàm vim perspici.

Vis sine conatu magnum nil efficit; ausu
Conatus sine vi deficit in medio.
Haec ubi conspirant simul, et junguntur amicè,
Tunc opus eximium, Quinte, fit eximiè.
Conatum Alferî qui laudas, vim quoque lauda:
Utraque res Italum juncta dedit Sophoclem.

CXV.

Ad Victorium Alferium.

Formosam vidit Venerem, quod carpere posset,
Momus et in toto corpore, nil habuit.
Diceret ut malus ergo aliquid; sandalia, dixit,
Esse Deae pulcro non satis apta pedi.
Sic quicumque tuam, Victori magne, poësim
Carpere vult, ipsam carpere putidulus
Nec potis est, carpit verborum paucula, Thusco
Sermoni haud suetis auribus apta parum.

CXVI.

Ad Eundem
de ejus carminibus.

Nempe tuum carmen quoties legis ipse, probatur,
Victori, denso mirificè populo.
Ore alio lectum, durumque, hirtumque videtur,
Et mentem, teneras laedit et auriculas.
Sic pictura horret, spectandam in lumine vero
Artifici pictor ni locet ipse manu:
Sic pravo in speculo facies horrenda puellae est,
Qua nihil est recto pulcrius in speculo.

CXVII.

Ad Eundem
de ejus Saule inter Arcades lecto.

Cissidae audivi furias, regnumque supremo
Et caput ipse suum cum daret exitio;

Audivi, atque tuo perculsus carmine, tota
Mente animi, ac totis artubus intremui;
Horrebantque comae, pallorque infecerat ora:
Plaudebant alii; mutus ego attonito
Adstabam similis, Victori magne; putavi
Nec dici, dictum quod fuit, at fieri.

CXVIII.

Ad Eundem de ejus Philippo.

Quid tua visa mihi sit fabula, docte, requiris,
Alferi? dicam more meo ingenuè.
Carolus iste mihi, mihi displicet iste Philippus,
Efferus hic nimiùm, mitis at ille parum:
Horrore hic nimio me trux percellit; acerbus
Elicit haud ullas ille mihi lacrymas.
Deme hinc, huc adde, o, quantum decet; ista cothurno
Esse Sophocleo fabula digna potest.

CXIX.

Ad Eundem,
OEdipodas legentem.

OEdipodùm tristes furias, et mutua fratrum
Carmine dum tractas funera luctifico,
Mens mi horret, gravibus torquens praecordia curis
Corda dolor multa complet amaritie.
Et tamen hoc quiddam interea sub pectore gliscit,
Alferi, dulci dulcius ambrosia;
Nempe, tuo attonitum ingenio captumque lepore
Me magis atque magis qui tibi jungit, amor.

Digitized by Google

CXX.

Ad Eundem
de ejus Antigona.

Ista quid in pleno faciet rite acta theatro;
Quae mihi me surpit lecta modò Antigona?
Quam cur, docte, negas, Alferi, lucis in auras
Proferre? ut gentes attonet Ausonias,
Ausonium et toties quo despexere cothurnum,
Gallorum minuat grande supercilium.

CXXI.

Ad Eundem
de eadem Antigona.

Alferi, magnus tibi quam dictavit Apollo;
Audivi arrectis auribus Antigonam;
Admiransque, manus et tollens, cedite, Galli,
Clamavi, prisci cedite Grajugenae.
Musae qui tragicae palmam sibi vindicet unus,
Invicta est natus denique in Ausonia.

CXXII.

Ad N. Grimaldum Catholici regis Oratorem
de Antigona in ejus aedibus primùm acta.

Auspice te, dias lucis processit in oras
Antigona, atque avidis auribus excipitur;
Statque Sophocleo par grandi nixa cothurno,
Seque recens priscae laudibus aequiparat.

Illi, qui plaudunt, pariter tibi plaudere gaudent,
Itque tuum sedes nomen in astriferas;
Quidquid et hìc sensus, mentesque rapitque beatque,
Grimalde, id munus dicitur esse tuum.

CXXIII.

Ad Victorium Alferium
de Antigonae auctore, atque actoribus.

Actores digni palma, dignusque poëta;
Atque hunc, atque illos tollimus astra super:
Nec scribi, nec agi meliùs potuisse, Quiritùm
Testantur plausus, et lacrymae, Antigonam.

CXIV.

Inscribendum theatro,
ubi primùm acta est Alferii Antigona.

Hìc primùm Alferî Antigone commissa theatro
Excepta est Urbis plausibus attonitae.
Hìc voti compos tandem caput extulit, ortum
Esse sibi Sophoclem sensit et Italia.

CXXV.

Ad Victorium Alferium
de Antigona typis in lucem edita.

Et placuit spectata mihi, mihi lecta placere
Alferi, et pergit mirificè Antigona.
Nil ego nil metuo jam fraudis, dicta ubi versans
Expendi lento singula judicio.

Spectator plausi: lector fidentiùs arti,
Atque tuo plaudo, magne vir, ingenio.

CXXVI.

Villa Strozzia,
secessus Victorii Alferii
Poetae optimi.

Pindus ego nunc sum, non Strozzia villa. Camoenae
Me dulces, Phoebus me pater ipse colit;
Nimirum Alferî cantus, cytharamque sequuntur.
Orpheus arte feras; ducit at ille Deos.

CXXVII.

De horto V. Alferii.

Hortum, Alfere, tuum medio florere Decembri
Vidi equidem, et mecum pectore sub tacito:
Nimirum hoc flores alieno tempore vatis
Eximii, Musaeque, et Charites tulerunt.

CXXVIII.

Ad Vincentium Montium
de ejus Aristodemo.

Monti magne, tua haec quòd prima Tragoedia ma-(gnos
Percellit miro carmine Romulidas,
Invaditque imos sensus, et pectora miscet,
Atque sibi mentes vindicat attonitas,
Laetor ego, et mecum tacitus: Divine poëta,
Hinc orsus, quònam denique pervenies?

CXXIX.

Ad Hippolyt. Pindemontium, Roma Melitam euntem.

Veronae decus, et nova gloria, Pindemonte,
Cur tua Romanum Calliope ad Tiberim
Suavidicos prompsit cantus, auditaque sensus
Omnes mi, totam surripuitque animam?
An desiderio frustra ut tabescere inani
Cogar, et avectam nocte dieque vocem?
Avectam, indomito postquam hic incendit amore
Omnia, longinquam, proh dolor! in Meliten.

CXXX.

Ad Eundem
de ejus Tragoedia, quae inscribitur: Ulysses, ejusque in eandem animadversionibus.

Culparis, quòd te culpasti censor iniquus:
Innocuum nec se laedere, amice, licet;
Nec, tibi quam scriptus famam quaesivit Ulysses,
Tota tua est; partem sed domus, et patria,
Ausonia et partem sibi magnam vindicat, olim
Ingenio felix illa vocanda tuo;
Omnes per gentes praestanti laude feretur
Quòd te Maffeo progenuisse parem.

CXXXI.

Ad Eundem.

Esse mei memorem te, candide Pindemonte,
Tam gratum est, toto laeter ut ex animo.

Melli etenim est, vati carum quòd contigit esse,
Quo pote nil quidquam carius esse mihi.
Vos facite, ambobus communia Numina, Musae;
Perpetuò me sic ille, ut amatur, amet!

CXXXII.

Ad Franciscum Cancellerium
de suis carminibus ejus manu descriptis.

Carmina, quae scripsi, nunquam, Francisce, putavi
Pulcra, et lectorum digna tenere oculos;
Sed cum tu miro descripsti cuncta lepore,
Pulcraque sunt, dixi, et digna tenere oculos.

CXXXIII.

In laudem Alexandri Georgii:

Festina lentè, doctrinae pulcra cupido
Acrem animum flammis cum ciet indomitis.
Dum nimiùm properat, primaevo in flore, Georgì
Illaec heu virtus incluta procubuit!
Quantas spes secum abstulit eheu! quà patet omnis;
Heu raptum ob juvenem quàm dolet Ausonia!

CXXXIV.

Ad Clementinum Vannettum,
qui Alexandri Georgii vitam scripsit,
typisque Senis edidit an. 1779.

Quòd vitam eximii scripsti, Vannette, Georgì,
Ille tuo clarus vivet ab ingenio:

Vives tu clarus simul, eximiusque fereris
Scriptor, et eximius cultor amicitiae.

CXXXV.

Ad I. Caelestinum.

Caelestine, mihi est tua littera lecta, simulque
Ingenium, mores et placuere tui:
Ingenium, scripsti quòd carmina plena leporis;
Mores, quòd ruri scribere non piguit.
Perge: sagax te mens constanti juncta labore
Victorem sistet vertice in Aonio,
Dignum et Phoebea praecingi tempora lauro,
Atque parem priscis vatibus efficiet.

CXXXVI.

Ad Petrum Rossium
de Psalmis Davidis latino carmine redditis.

Adsuetis cantu vitam incestare profano
Parca rapit furva, quae cecinere, manu:
Tu contra tua, Petre, feres haec carmina tecum,
Divi ubi perpetuas laeti agitant choreas,
Jessidaeque ibis magno comes, ac tibi magni
Certabunt aequè plaudere Caelicolae.
Nec minùs interea terras tua clara per omnes
Fama coronatis vecta feretur equis,
Teque canet palma insignem, vatesque Latinos,
Et vates natum vincere Grajugenas;
Majoremque illis tantò, caelestia quantùm
Humanis, virtus anteit et sceleri.

CXXXVII.

Ad Carolum Roncallium
de Italica versione plurium Epigrammatum
e Gallico idiomate ab eodem exarata.

Roncalli, vincis quae vertis carmina; Musae
Gallica succumbit semper et Ausoniae:
Quidquid et illa canit salsum, lepidumque, lepore
Miratur fieri salsius usque tuo.
Perge opus ob magnum latè clarescere; perge
Externas patriis vincere divitias.
Auctori interpres antistas cuilibet, et, quae
Doctè auctor cecinit, doctiùs ipse canis.

CXXXVIII.

Ad Guascum merito honore affectum.

Quòd tibi, quo fulges, tandem post tempore longo est
Partus honor, toto gratulor ex animo;
Sed tibi quòd partum nemo non gaudet honorem,
Esse reor, multò gratuler unde magis.
Illud Fortunae partim, virtutibus omne
Acceptum hoc debes, Guasce, referre tuis.

CXXXIX.

De Camillo Romano.

Disce boni officium Civis. Viden', alta Camilli
Ingratam ut virtus restituit Patriam?
Laus haec digna viro est hostes ultricibus armis,
Ingenti cives vincere promerito.

CXL.

De Paullo Burghesio,
qui pingi jussit Camillum eo animo,
ut ejus exemplo quisque amet suam Patriam.

Exemplum hoc mirae cernis pietatis, ut exul
Ingratam servet magnanimus Patriam.
Quod pingi jussit Burghesius, ardet ut ipse,
Nemo ut non Patriae flagret amore suae.

CXLI.

De duobus fratribus Pisaurensibus
in Militarem S. Stephani Ordinem adscriptis.

Et meritò, egregii Fratres, duo clara Pisauri
Lumina, dant sacrae nomina militiae;
Ut magna ingenti se se domus efferat auctu
Altiùs, atque novis clara micet titulis;
Et tantùm egregios mirentur Thusca nepotes
Æquora, magnanimos Belgica quantùm atavos
Mirata est quondam tellus, cum infesta moveret
Arma Deum contra dira superstitio.

CXLII.

Ad eosdem fratres,
Crucis insignibus donatos.

Haec vestris defensa atavis insignia quondam
Ex merito vobis ferre dat alma Fides.
Vos olim, Odrysiam dabitur cum tendere contra
Classem, et barbarico praelia inire mari,

Hoc illi, reddi sibi quod Dea postulat unum,
Reddite, vestrorum fortia facta atavûm.

CXLIII.

Ad duos fratres,
Roma Neapolim redeuntes.

Vel procul hinc patrias revocat Sebethus ad oras,
Floriduli, nomen queis Rosa dat, juvenes;
Nos flavum ad Tiberim vestri meminisse juvabit,
Amborum et mores dicere, et ingenium,
Atque optare, redux rursum ut nos visat uterque,
Et coetum hunc iterum atque iterum exhilaret.
Haec optare juvat: spe ne ludamur inani,
Vos facite, o nostri frater uterque memor.

CXLIV.

Ad nobilem Venetum juvenem
cognomento Pisanum.

Tam juvenem ad tantos quod Patria tollit honores,
Pisane, id pulcrum quis neget esse tibi?
Pulcriùs at multò est, quae defert, omnia credit
Nondum etiam meritis quod satis aequa tuis.

CXLV.

Ad Patrem, filio disputante.

Macte, Pater, gnati doctrina: mira docentem
Jurè illum toto pectore suspicimus;
Sed mage te; pomis ceu ditem grandibus hortum
Qui videt, is doctum suspicit agricolam;

Abs te nam didicit, quae nunc docet, omnia: patrem
Te sibi Naturae, te sibi habet Sophiae.

CXLVI.

Ad Boccagiam (Madame du Bocage)
de ejus carmine in laudem Columbi.

Tunc viris frustra tentatum femina carmen
Condere? Tu extremi litus ad Oceani
Appulsum incolumi potuisti classe Columbum
Dicere? Et eximii fortia facta ducis
Eximio aequasti cantu, cui magnus Homerus,
Ipsaque cui meritò Calliope invideat?
Macte tua virtute, ingens, macte, o Doriclea,
Felicis pulcris ausibus ingenii,
Gallia queis plausit, plaudit nunc maxima Roma,
Nullo non plaudet tempore posteritas.

CXLVII.

Ad Orphytum
de Galla nequaquam indotata.

Dotèm Galla tulit, non quae dos dicitur esse
A vulgo; mores at bene compositos,
Conjugis at cari, soli cui vivit, amorem
Mansurum extremas semper ad exequias;
Naturam at, flecti docilis quae possit, acerba
Vivere cum socru quae sciat unanimis;
Ingenium at mirè sollers, operumque laborem,
Quaeque bonas auctat sedula cura domos;
At genus, et formam pauper tulit, Orphyte. Gallam
Duxti dotatam (crede mihi) eximiè.

Digitized by Google

CXLVIII.

Ad Fabronium Optimum Praesulem, Auctoris carmina laudantem.

Quòd mea dilaudas, Fabroni, carmina, gratum est,
Quamvis laudari me rear immeritò;
Ista etenim est quò vera minùs laus, optime Praesul,
Hòc magis est verae pignus amicitiae.

CLIX.

De Merope Maphaei a N. N. Alteria Ducis Strozzii conjuge egregiè acta.

Mphaeo debes, Verona, Tragoedia nusquam
Scripta quòd in tota est pulcriùs Italia;
Strozziadi at debes, Verona, Tragoedia nusquam
Acta quòd in tota est pulcriùs Italia.
Hanc quoque fac statuas Pario de marmore, dignam
Civibus eximiò semper honore coli;
Par nec honos desit fratri, quo se duce culmen
Artis ad ignotae dia puella tulit.

CL.

Ad Mariam Rosam Cocciam modorum faciendorum scientissimam.

Coccia, sollerti laudamus mente puellas,
Multiplices potuit discere si qua modos.
Unam te attoniti miramur, cui datur uni
Omnigenos alias posse docere modos;

Artis et Orpheae supremum tangere culmen,
  Ætas floridulae dum tibi vernat adhuc.
Scilicet eximium seris non indiget annis,
  Quodque modò aspexit, pervidet ingenium.

CLI.

Ad Torquatum rusticantem.

Nondum uno es, Torquate, die procul Urbe moratus;
  Jam desiderium posse tui videor
Vix ferre, absentem suspiro, in collibus Albae
  Quam trahis, immodicam conqueror esse moram:
Et tardo facio Soli convicia, longo
  Et, clamo, haec anno est longior una dies.
Haec qui miratur, tua vel benefacta, necesse est,
  Vel certè ingenium nesciat ille meum.

CLII.

De effigie Antinoi.

Adde vel Antinoo pennas, vel detrahe Amori;
  Antinous fit Amor, fitque Amor Antinous.

CLIII.

De Deliae mirifico ad canendum ingenio.

Ingenium misera quantò est felicius arte,
  Cantu parva suo Delia me docuit.
Nondum docta, alias vicit, quas longa labori
  Ars duro assuetas scilicet edocuit.
Audivi, et mirans; alienam hae rite sequuntur,
  Haec artem, dixi, condit at ipsa suam.

CLIV.

De carminibus
Henricae Dionysiae Orpheae.

Henricam audivi pangentem ut carmina, mirans,
Atque manus tollens, talia dicta dedi:
Ars nihil est: Natura potens facit omnia; testor
Sponte sua tibi quae carmina prima fluunt.

CLV.

Ad Clementinam Rossiam.

Clementina, tuum tua nuper quod mihi nomen
Scripsit tam lepidis dextera literulis,
Servo equidem, ac laetus servabo tempus in omne,
Parvum, at dulce tuae pignus amicitiae.
Hoc mi lectum animo sistet tot magna Deorum
Dona, quibus mirè, dia puella, nites:
Hoc mi virtutis, qua polles inclyta, verae
Conspectum assiduo proderit admonitu;
Et mentem incendet pulcrè, tua nomina gustans
Par tibi ut innocuis moribus esse velim.

CLVI.

De effigie
Clementinae Rossiae.

Clementina, ipsam qui te non vidit, imago
Huic uni potis est haec placuisse tua.
Qui semel at vidit, mortali sentit ab arte
Caelestem pingi non potuisse Deam.

Digitized by Google

CLVII.

De crumena
sibi data a Clementina Rossia.

Jupiter hanc auro licet impleat usque crumenam,
Omni erit haec auro cara crumena magis,
Quarta mihi Charitum multa quam sedula cura
Clementina sua texuit ipsa manu,
Cecropiae illa Deae ante omnes dilecta puella,
Ingenio illa Deae par quoque Cecropiae.

CLVIII.

Ad Lycoridem
de ejus pulcritudine.

Qui formae partem tibi morbus, pulcra Lycori,
Abstulit, humano consuluit generi.
Vel corrupta urit quae multos, integra quem non
In flammam heu! facies verteret, ac cinerem?

CLIX.

Ad Aloysiam,
Francisci Cancellerii sororem,

Quòd major nondum lustris, Aloysa, duobus
Tam bene Daedalea stamina ducis acu,
Femineo in coetu praestas; sed tam bene ducis
Quòd pulcras docto pollice literulas,
Femineam supra sortem te laudibus effers,
Vincis et ingentes parva puella viros.

CLX.

De Statua Discobuli.

Cerne hunc, ut se se validos collegit in artus!
Ut discum elata librat in alta manu!
Jam lapis effugiet magno stridore per auras,
Jam finem celeri turbine transiliet.
Ante etiam jactum, Hic victor, clamo: date palmam:
Tanta nec fulmen vi rapidum jacitur.

CLXI.

Laudes amicitiae.

Te procul a patria morientem sede tuorum
Cura omnis foedè, Postume, destituit.
Solus ad extremum nulla tibi defuit in re
Varus constanti junctus amicitia;
Et docuit, vincire homines vinclo arctiùs omni
Mutua quae fidus vincula nectit amor.

CLXII.

Ad Celsum. Se homines sola virtute metiri.

Ingentes laudo sumptus, laudo aere videndis,
Quo mirè polles, artibus ingenium,
Hortos, atque domos, et quae struis omnia magna,
Dignaque Romanis omnia Caesaribus.
Non tamen idcirco magnum te, Celse, putarim,
Officii fuerit ni tua vita memor,
Virtutem et praestet solidam, qua scilicet una
Metior ingentes, Celse, probòque viros.

CLXIII.

Ad Antonium,
qui curru suo Poetam exceperat.

Gratuler incolumi ut Sexto, Nivildus (1) in aestu
Scandere Parrhasium me jubet ecce jugum.
Id mihi ne febrim misero ferat, optime, curru,
Antoni, tu me tollis in alta tuo.
Ergo illic Superis pro salvo Principe, at unà
Solvam pro salvo me quoque vota tibi.

CLXIV.

Ad Convivatorem
bona carmina recitantem.

Cui coenam praebes, recitas tua carmina: corpus
Te penes egregiè pascitur, atque animus.
Duplex debetur jucundae gratia mensae,
Pinguior unde abeo scilicet, ac melior.

CLXV.

Ad Varum de ejus mirifica
in scribendo facilitate atque elegantia.

Quae menti occurrunt, scribis Vare, omnia, quid-(quam
Nec scribis mirè non sapidum, aut lepidum.

---

(1) Hic est Joachinus Pizzi, qui inter Arcades Nivildus Amarinthius vocabatur, et tunc temporis erat Supremus Arcadiae Custos.

Hoc alios vincis vates; rerum optima quaeque
Prima tibi occurrunt omnia mirificè.
Non opus est ullo delectu; nil nisi pulcrum
Isto sponte sua prodit ab ingenio.

CLXVI.

Ad Quintum amicis omnibus antelatum.

Quinte, mihi es dulces inter tu primus amicos;
Tam primus, nemo ut proximus esse queat;
Tam primus longè ante alios, ut, Quinte, secundum
Qui te consequitur, non rear, at decimum.

CLXVII.

Ad Quintum docilem monenti.

Multa quidem peccas, peccantem, Quinte, moneri
At satis est; vero protinus obsequeris,
Et fidi prima correptus voce sodalis
Flectis iter, justam nec pudet ire viam.
Jam docili nihil est, quod non ignoscere possum;
Erratum quodvis et reor esse leve.

CLXVIII.

Mulierem virtute praestantem abundè dotatam esse.

Indotata Macro fertur nupsisse Lycoris.
Falsum id: quae mores namque habet egregios.
Ingeniumque, manus et doctas, et bona quotquot
Vel natura indit, cura vel assiduo

Adjungit cultu, nummum licèt haud ferat unum,
Dote virum ditatque, et beat eximia.

CLXIX.

Ad Phyllidem
cum sene jucundè colloquentem.

Phylli, senem alloqueris gaudens, audisque loquentem
Vultu, quo juvenem blanda puella solet.
Nempe alias corpus, te mens rapit, optima Phylli,
Saepe sub incana pulcrior illa coma.

CLXX.

Laudat juvenem,
qui, posthabitis voluptatibus,
optimis disciplinis,
et literis operam navaverat.

Florea serta dabat ridens Venus; altera lauro
E viridi contra docta Minerva dabat.
Macte tuis generose animis: Amathusia spernis,
Gestas Cecropiae dona superba Deae.

CLXXI.

Ad Fernandum,
qui munus Poetae miserat.

Quae, Fernande, mihi misisti munera nuper,
Sunt vel Mopsopio dulcia melle magis;
Muneribus sed quem missis testaris amorem,
Is verè est ipsa dulcior ambrosia.

CLXXII.

Ad Daphnin de Teresia Bandettinia.

Differ, Daphni, tuos tu cantus; nunc Amaryllis
Una sibi totam vindicat Arcadiam.
Ceperit illa suae postquam sibi praemia laudis,
Et tu quae capias, praemia laudis erunt.
Et tu magnus eris, fies et proximus illi,
Cui se nec Pindi numina praetulerint.

CLXXIII.

Ad Gelliam.
Quo animo sit erga eam, docet.

Ullum non renuo tibi quòd sumpsisse laborem,
Acceptum debes, Gellia, ferre tibi.
Quippe etenim es tanti, te propter sumptus ut omni
Mi soleat requie dulcior esse labor.

CLXXIV.

Ad Caphniam
de ejus historiis.

Ingenio praestans, nulli et non aequa virorum
Antiquas pingis, Caphnias, historias.
Cuncta vigent, ridentque omni perfusa lepore,
Cui prisci, credo, Cecropidae invideant.
Hoc mirum est certè; multò at mirum magis illud,
In tanta quòd non femina laude tumes;
Quod laudata aliis ipsam te despicis una,
Quantaque sis, nondum scilicet una vides.

CLXXV.

" Laudo, quòd dives frugi es ".

Laudo, quòd dives frugi es, quòd ponere gaudes,
Quem res non ponit, tu tibi, Cinna, modum.
Pulcrum est, Fortunae Virtus quum praevalet, inter
Divae blanditias et sua jura tenet.

CLXXVI.

Ad Quintum
de Pompejo Battonio.

Quae pinxit Raphaël, mirè scis omnia, Quinte;
Nescit, quem spernis, maximus ille Bato:
Quae pinxit Raphaël, potis es quàm dicere sed tu,
Tam potis efficere est maximus ille Bato.

CLXXVII.

Literatorum hominum scripta
aeterna fore.

Hanc auceps pennam, cycni quam dempsit ab ala,
Aptam olim campos nare per aërios,
Nunc atro niveam ductu signare papyrum,
Doctaque Palladiis condere verba notis,
Accipe, Cinna, tui munus nec sperne magistri:
Uti quo bene si munere non pigeat,
Fundet opes, auri quae vincant pondera, vincant
Omnes carorum divitias lapidum;
Nam caros lapides, atque aurum conficit aetas,
Quod fluit hinc, aetas perdere nulla potest,

CLXXVIII.

Ad quendam, qui rei publicae, iniqua nactus tempora, valedixerat.

Fert onus impositum Sapiens; curamque, laborem
Et durum forti pectore perpetitur,
Strenuus ut prosit multis, nec publica segnis
Commoda socordi negligat ingenio:
Pulcrum opus urgenti si fata adversa resistant;
Praecidat si quis laevus et orsa Deus,
Irrita ubi vacuas prorsum dilapsa per auras
Spes ventum, et nubes fugit in aërias,
Ne casso frangat corpus mentemque labore;
Tandem oneri dorsum subtrahit imposito;
Nec fatuos ponit rumores ante salutem
Infelix vanae victima gloriolae:
Magne vir, hoc Ratio fieri jubet, hoc tibi factum
Laudoque, et toto gratulor ex animo:

CLXXIX.

Ad quendam, qui privatam vitam publicis muneribus praetulerat:

Fessum operi paullum nunc te furare; redibit
Jam tibi opus, jam res publica poscet opem;
Illa diu nec te quibit, vir magne, carere,
Nec tu illam in mediis spernere turbinibus:
Haec clamo attonitus divino pectore vates,
Privatus patrium dum repetis Tiberim:

Et queritur, non illa memor, quàm tempore parvo,
Sed memor heu! quanto sit caritura bono.

CLXXXIV.

In idem Argumeatum.

Parthenopem viset Roma digressa Lagois.
Cui formae hinc abiens regna superba dabit?
Cui veniens illuc adimet? quaenam omnibus una
Hìc erit, aut illic desinet esse prior?

CLXXXV.

Ad Lagoidem
Neapoli Romam redeunte.

Digressam flevit, reducem nunc Roma Lagoin
Excipit ingenti non sine laetitia.
Salve, dia puella; refers tu gaudia nobis,
Aspectuque Urbem pulcra tuo exhilaras.
Vere novo campos rediens sic Flora revisit:
Purpureo florum germine ridet humus,
Mitior et tacitas rursum ciet aura volucres;
Nusquam non laeto carmine rura sonant.

CLXXXVI.

Monet Lycorim, ne se Neapolim Romae
praeferre apertè dicat.

Sebethum Tiberi praefers, formosa Lycori,
Grataque prae Roma est Parthenope usque adeo,
Expers ut vitae priùs omnis, vivere tandem
Vecta istuc niveis ceperis alitibus?

Quidquid id est, decuit celari; Martia Roma
(Cum se posthabitam turpiter audierit,
Teque mori sciet hìc, istic et vivere tantùm)
Huc reduci tristes ne paret exequias;
Quamque sibi claram praeclara in luce locarat,
Invisam in caecas abjiciat tenebras.

CLXXXVII.

Deliae laudes.

Et pulera est, pulcram nec se scit Delia; mirè
Et sapiens, nec se Delia scit sapere.
Sic, oro, maneat semper; mirandaque cunctis
Mirari nunquam se tamen incipiat.

CLXXXVIII.

Laudat Lagoidem choreis abstinentem.

Quòd molles ductare choros te, dia Lagoi,
Non decet, id laudis nil tibi diminuit.
Illa etiam, in coetu fulget quae prima Dearum,
Pallas lascivis nil valet in choreis,
Atque leves aliis lusus concedere gaudet:
Artes ipsa sibi vindicat eximias.

CLXXXIX.

In Nuptiis Octaviae Odescalchiae.

Uraniae genus en summis delabitur astris,
Et gerit in gemina vincla facemque manu.
Felices ambo, sacro quos foedere junget,
Quos nectet stabili tempus in omne fide!

Digitized by Google

Felicem (veri si quid canit augur Apollo)
Vestro quae surget sanguine progenies,
Atque aliam atque aliam laudes et facta parentum
Diffundet nunquam degener in sobolem!

CXC.

Ad Balthasarem Odescalchium sacrum Dianae exhibentem.

Dum Scythicae sacrum simulas crudele Dianae
Bacchantum laetis, Balthasar, in thyasis,
Vulgusque, et vulgo melior pars acre decori
Judicium tollit laudibus astra super,
Magnificos nec tam sumptus, quam suspicit istud
Felix inventis grandibus ingenium.

CXCI.

Ad Balthasarem Odescalchium in scena alienam personam agentem.

Tam mihi, care, places in vita, Balthasar, ut vix
In scena patiar te tibi dissimilem;
Et cupiam, ponas alienam tam bonus actor,
Personae incipias auctor ut esse tuae (1).

CXCII.

In idem argumentum.

Gratus et in scena es mihi, Balthasar; attamen ipsa
Mi multò in vita gratior esse soles.

---

(1) Neque actor sum alienae personae, sed auctor meae. Cic. de Oratore.

Nullas non mirè partes agis; ast ego mirè
Tum capior, partes quando agis ipse tuas.

CXCIII.

Hortatur Balthasarem Odescalchium,
ut Romam redeat,
grassante Neapolitanos inter epidemia.

Carpe fugam, Princeps; morbo gliscente, relinque,
Dum licet, infestae moenia Parthenopes;
Atque redi flavum ad Tiberim, patriosque penates.
Tu, forti ut praestas pectore, nil metuis
Scilicet ipse tibi: metuit tibi sed tua mater
Incluta, sed genitor, sed soror unanimis,
Sed fratres cari metuunt. Quid dia puella,
Desponsam fidus quam tibi servat Hymen?
Ut dolet! ut totam assiduis mentem anxia curis
Ingemit! ut largis uda sinum lacrymis
Ploratu longo indulget, caroque severas
Parcarum leges permetuit capiti!
His, bone, te serva, serva ocyus; atque periclum,
Dum licet, ac praepes dum sinit hora, fuge.

CXCIV.

Ad Rosam de Libro ad se misso.

Aureolum legique avidus, tua dona, libellum,
Magni quo ploras funera Borbonidae
Orator gravis, et sapiens, rerumque peritus;
Et lectum admirans talia verba dedi:
Orsis macte tuis, sapiens Rosa, Numen amicum
Cui dedit haec puero scribere digna sene.

CXCV.

Ad Ignatium Boncompagnium.

Pauperies acuit mentes, aptatque labori;
Dives alit rerum copia desidiam.
Hòc ego te, Ignati, facio pluris, labor iste
Assiduus magnas quem juvat inter opes;
Cui non tam quidquam cordi est, quam nulla diei
Doctrinae addicto segnis ut hora fluat.
Macte tua virtute: labor veram tibi laudem,
Et parat ingentes divitias animi,
Queis sine quid magni census, quid regia prosint
Tecta, quid heroum sanguine ducta domus?

CXCVI.

Ad Phoebum de ejus imagine a Meuccio picta.

Quod debet cantor tibi, Phoebe, Meuccius, omne
Id pictor solvit largiter ille tibi.
Tu liquidam juveni vocem, numerosque dedisti,
Ille tibi hanc, qua nil pulcrius est, faciem;
Qua visa poterat percelli scilicet ipsa,
Atque fugax Daphne forsitan esse minùs.

CXCVII.

Ad Lycinium in laudem ejus uxoris.

Uxori servire tuae te scilicet, olim
Audieram, et mirum mi fuerat, Lycini;
Ut qui te nossem, qui scirem excellere in omni
Doctrina, in paucis et sapere eximiè.

Sed tua visa mihi postquam est, auditaque conjux,
Perculsum et raris dotibus attonuit,
Non mirum est, dixi: digna est, cui quilibet uni
Vir, quamvis doctus, serviat, ac sapiens.

CXCVIII.

Ad Barbaram de ejus comi, mitique ingenio.

Qui te tam duro, tam saevo nomine dixit,
Barbara, tam mitem, tam placidam, atque bonam,
Is liquidos, credo, lapides, atque aëra durum,
Corvum album, nigram dixerit esse nivem;
Falsaque perversis cum dixerit omnia verbis,
Hoc mage perversum dixerit ille nihil.

CXCIX.

De Roscia, quae moechum vim afferentem confodit.

Vi foeda instantem confodit Roscia moechum,
Invicta et probrum reppulit omne manu; (stram
Casta eadem, et fortis, digna et quam Roma magi-
Officii nuptis omnibus esse velit;
Atque foro in celebri, saxove, aut aere, decorum
Exemplar sanctae stare pudicitiae;
Testari et nostro, quo nil corruptius aevo est,
Femineum ex aliqua parte manere decus.

CC.

De Lesbia bene morata, non vana.

Moribus ornari, quàm gemmis, Lesbia mavult;
Jurè aliena suis posthabet illa bonis.

CCI.

Ad Leonillam
amatorum vecordiam sapientia moderantem.

Advenit, Leonilla, tibi cum stultus amator,
Cordata stultum mente regis sapiens,
Nec sinis, officii finem transcurrat, amori
Nec nimiùm laxet libera fraena suo;
Nec pateris, quidquam faciat, vel dicat ineptè,
Materiem et risu det levis indecori.
Nimirum factisque doces dictisque, probari
Nullum posse tibi, qui tibi non sapiat.

CCII.

Ad Alexim putantem omnes esse bonos.

Esse tibi similem nullum non reris, Alexi;
Ut bonus es, credis quemlibet esse bonum.
Ergo vir innocuus, fraudis vir nescius omnis,
Assiduè fraudes, damnaque perpeteris.
At tu crede bonum, quantum vis, quemque, caveto
Sed, tibi ne noceat, si velit esse malus.

CCIII.

Ad Gerardum
de ejus fabula scenis commissa.

Gerarde, Actaeo tua fabula plena lepore
Quòd cecidit, fatuo nec placuit populo,
Ne tibi tu doleas, populus sibi sed magis ipse,
Stultitiae testis quòd fuit ipse suae.

Cujus ego, sensu pulcrique, bonique carentis,
Laudibus, et plausu sibila praetulerim.

CCIV.

Ad Nigellum
optimum ignavi domini aurigam.

Quàm decet iste color fuscus, quàm torva, Nigelle,
Te facies! corpus viribus et validis
Subnixum, partes et pulcrè mobile in omnes,
Flectat ut admissos, sistat et alipedes!
Quae vultu prodit fiducia certa! periclis
Ars, animus semper crescit ut in mediis!
Talis Achilleos Phrygii prope flumina Xanthi
Versabat currus armiger Automedon,
Cui tamen hac una concedis laude; ministras
Turpiter ignavo tam bonus heu! domino.

CCV.

Ad Leuciam, italicè = Santo Leucio =
ob leges ei datas a Ferdinando IV
utriusque Siciliae Rege.

Leucia parva, pio quae nacta in rege parentem
Semoto felix aevum agis in nemore,
Nulla ubi vesanis fervent mala jurgia rixis,
Turgida non inflat pectus et ambitio,
Nullus perdit opes luxus, nec vulgus inerti
In vita, et molli desidet otiolo;
Sed mores colit usque bonos, instatque labori,
Monstratum verae laudis et urget iter,

Salve o; teque tuus nunquam non diligat auctor,
Atque suas pergat dicere delicias!
Salve, parva orsu primo, jam jamque futura
Sed magna, in magna nobilis Ausonia.

CCV.

De Briseide a Vienno mirificè picta.

Si tam pulcra olim Briseis vera fuisset,
Haec quàm pulcra tua est picta, Vienne, manu,
Frustra illam duci major jussisset Atrides
Celsis Æmonii puppibus e juvenis.
Talem quàm formam, vitam demi sibi mallet,
Nec bello in Grajos parceret Æacides.

CCVI.

De tribus Horatiis a Davide pictis.

Tergeminam faustis prolem pater instruit armis,
Romulei columen robur et Imperii.
Muta metu circum moeret domus, ardet in ore
Spes juvenum vis et Martia magnanimo.
Gaude, Roma; tibi palmam haec fiducia spondet;
Vincit, tam certa qui capit arma manu.

CCVII.

De imagine Camilli a Rossio picta.

Mirè pinxisti quem, Rossi docte, Camillum
Spectans, laudavi magnanimum hercle ducem.
De te nil dixi non pictam namque videbar;
Illius, at veram cernere mi faciem.

CCVIII.

Ad P. Battonium pictorem, se, suaque opera laudantem.

Praestans arte tua, laudo, Bato, quòd tibi fidis,
  Quòd pretium tabulis dicis et ipse tuis,
Tantus nempe opifex expectes, quod tibi de te,
  Rebus deque tuis dixerit Antigenes,
Aut alius quivis, censuram vindicet ultro
  Qui sibi, verborum prodigus, arte rudis?
Non te illis, illos potiùs tibi credere, par est:
  Jus est, ignaros gnarus ut edoceat.

CCIX.

Ad Eundem N. Barbadicae imaginem pingere volentem.

Pulcram Barbadicae faciem vis pingere, Bato,
  Illa velut pingi possit ab arte tua.
Tu potis es formam, potis es fortasse colorem,
  Non potis es multas pingere sed veneres,
Quae mirè captos mulcent dulcedine sensus,
  Quae mirè captos illiciunt animos;
Quae simul ac micuere, calent circum omnia, nullum
  Non pectus flammis uritur indomitis.
Has nec ego possum, quidnam sint, dicere, nec tu
  Picta, quidquid agas, exprimere in tabula.

CCX.

De Rufina Battonia.

Scribere longa piget. Battoni nata, Sodales,
  Laudatur versu mi satis hoc gemino,

Digitized by Google

Quàm pater est forma picturae magnus in omni,
Tam cantu in dulci filia magna fuit.

CCXI.

De tabulis
Raphaëlis Menxii (Mengs).

Quanam animus forma pingatur, quove colore,
Ignoro; pingi sed video, Raphaël,
Inque tuis tabulis cerni Spes, Vota, Metusque;
Laetaque cum tristi Gaudia Moestitia.
Cuncta geri credo praesentia, cuncta moveri;
Attonitus monstro vivere cuncta puto.

CCXII.

Ad Eundem
de tabula Persei.

Tam levis est, Romae ostendis quem Persea, Menxi;
Sic vigor in toto corpore mirus inest,
Ut verear, flammae similis talaribus actus
Ne pulcra fugiens avolet e tabula.

CCXIII.

De imagine Beatae M. V.
ab Angelo salutatae,
ab Eodem picta.

Sic pingi ut Superûm posset Rex, et bona Virgo
Fecundo Numen mirè utero excipiens,
Aligerûm et formae juvenum, credo, optime Menxi,
Te te aliquis sedes sustulit ad superas.

Non speciem hanc tellus praebet, qua scilicet ipse
Inter mi videor degere Caelicolas.

CCXIV.

Ad Eundem de effigie Andromedes.

Cerne, ut adhuc monstro pectus tremefacta marino
Ignotique oculos casta verens juvenis
Andromede, gaudensque simul, simul anxia rupem,
Libera jam vinclis, deserit acquoream,
Quam Jove prognatus laetanti pectore Perseus,
Ora, sinum et flagrans excipit incolumem;
Jamque aget abducens, claram quà lampada praefert
Ore valer prodens gaudia, parvus Amor.
Haec spectans, doctamque manum laudare memento,
Ingenium et magni, quisquis es, artificis.
Ipse animi attonitus clamo: Salve, inclute Menxi,
Quem sibi nec Raphaël jam neget esse parem.

CCXV.

In imaginem Hectoris.

Cessantem in thalamo quo turbidus increpat Hector
Ore Parin! quae vis fulgurat ex oculis!
Hectoris haud forma haec, sed vitae redditus Hector:
Jam vox jam mi aures exiliens feriet.

CCXVI.

De Menxio Pictore.

Postremam eximii defixo lumine Menxî
Dum tabulam specto nuper, et ingemui,

Et lacrymis oculos suffudi moestus obortis,
  Invida quòd talem tam citò Mors rapuit;
Sed prope quum vidi, studio quam pinxerat olim
  Ipse suam ingenti, mirum opus, effigiem,
Hnic atrox certè, dixi, Libitina pepercit,
  Menxius hìc sua post funera vivit adhuc.

CCXVII.

De Daphnide
a Meuccio picta.

Phoebe, tenes frustra Daphnen; comprensa virescit
  In frondem subitò dia puella novam.
Heu! heu! qua nymphas inter non pulcrior ulla est,
  Horrida jam duro cortice laurus erit;
Flenda tibi, Penee pater; tibi flenda, cruente,
  Qui miseram gemina cuspide perdis, Amor.
Haec mecum, fieret ceu nunc res ipsa, Meucci,
  Quam tua miranda pinxerat arte manus.

CCXVIII.

De imaginibus
a Leucone eximio pictore pictis.

Unde istas promis, Leucon doctissime, formas,
  Pingens quos jussus pingere cumque Deos?
Tu facili volitas dextra celer; at mihi mentem
  Horror nescio quis percipit attonitam;
Miror enim fieri prope nullo in tempore, dignum
  Quod quivis longo tempore spectet, opus.

CCXIX.

In tabulam Achillem exhibentem.

Hoc olim vultu Phrygiae vastator Achilles
Hectora sub muris terruit Iliacis.
Acres igne micant oculi, frons torva; minaci
Ille tamen mirus fulget in ore decor.

CCXX.

In tabulam Ulyssem exhibentem.

Quàm pulcra est Ithaci, quam, Leucon, pingis, (imago!
Ut vafrum in vultu cernimus ingenium!
Quanta viri se vis cano sub vertice prodit!
Quàm mira in valido corpore forma seni!

CCXXI.

Poëta de sua imagine a Leucone picta.

Nunquam forma mihi placuit mea, nunc placet her- (cle
Illa tua, Leucon, tam bene picta manu.
Qualiscumque, satis pulcra est in imagine ficta,
Quam verae formam cernimus assimilem.

CCXXII.

De imagine Clementinae Rossiae.

Vidit ut hac pulcram sub imagine Clementinam,
Avertitque oculos, dixit et Anna parens:
Quaere aliam, quam vis, matrem tibi, non mea proles;
Pulcrior est multò nata, ego quam genui.

Digitized by Google

CCXXIII.

Ad Corvinum de imagine Lycoridis.

Formosam in tabula vidi, Corvine, Lycorin:
Fronte, oculis, agili est corpore visa Venus:
Agnovi errorem: quiddam huic spirabat ab ore;
Mos etiam ut nosci possit inesse bonus.

CCXXIV.

In imaginem Lagoidis.

Ornat flore caput, quam cernis, picta Lagois;
Flore sinum, niveas flore decente manus.
Flos tamen Idaliis haud ullus nascitur hortis;
Quem non formosis vicerit illa genis.

CCXXV.

In idem argumentum.

Quaenam haec pulcra genis, nec vultu Diva protervo
Audax, lascivis laeta nec illecebris?
Hac Amor, hac adstant geminae de parte columbae;
Signa haec Idaliae sunt manifesta Deae.
Illaec nimirum vulgo male cognita, caelo
Huc reor e summo est lapsa pudica Venus.

CCXXVI.

In idem argumentum.

Et puerum, et niveas quaerit Cytherea columbas;
Frustra; secum illos pulcra Lagois habet;

Hujus enim ut miros primùm videre lepores,
Confestim spretam deseruere Deam.

CCXXVII.

In idem argumentum.

Ore tuo pingi gaudet Venus ipsa, Lagoi;
Nunc demum, et dicit, mi mea forma placet.

CCXXVIII.

In idem argumentum.

Quaenam est? pulcra Deae in speciem depicta La-
(gois,
Ætas dum primo florida vere viget.
Salve, o torquatis vectari digna columbis,
Digna, Amor assiduè cui comes ire velit.

CCXXIX.

In idem argumentum.

Quaenam haec picta puella? Venusne, an pulcra
(Lagois?
Utrique est similis: cui magis? id dubito.

CCXXX.

De Lagoide Iliadem legente.

Maeonidae magni carmen formosa Lagois
Dum legit, et muris bella sub Iliacis,
(vultu
Quàm mirum est, Helenae pulcro, inquit, concita
Millia tot sacvas conseruisse manus!
(goi, es,
Cui Leucon: tam pulcra Helene, quam pulcra, La-
Si fuit, id mirum non reor, inquit, ego.

CCXXXI.

De Serassi Effigie perfectè in tabula expressa.

Vivum te in tabula, vivum, Serasse videmus:
Haec non forma tui est, ipse tui at geminus.

CCXXXII.

Ad Lebruniam de sua imagine in tabula picta.

Qualis eras olim quinto, Lebrunia, lustro,
Pulcra tua hìc mirè pingeris ipsa manu.
Reddidit ars, quod tempus edax tibi dempserat: haec et
Constans una omni vindicat a senio;
Esse parem superis haec te facit una Deabus
Nullo non unquam tempore floridulam.

CCXXXIII.

In idem argumentum.

Totam hìc se pinxit Lebrunia. Quidquid habebat,
Quidquid habet formae, cernimus in tabula.

CCXXXIV.

In idem argumentum.

Se, qualis nunc est, Lebrunia pingere non vult:
Usque solet se se pingere qualis erat.
Laudo artem, cohibet quae pingens, cedere et annos
Cogit, et in formae posse decore nihil.

CCXXXV.

Ad Vincentium Karaphaeum
in obitu Liviae optimae conjugis.

Fle, decet, extincta, Vincenti, conjuge; fleri,
Quidquid agas, nunquam non satis illa queat.
Jacturam aequari luctu vix posse putarit,
Cui vel parte aliqua Livia nota fuit.
Quid tu, cui penitos animi pernoscere sensus,
Virtutum et laudes contigit innumeras?
Non, desiderio miserum cor fixus acerbo,
Totque tibi plores, tantaque rapta bona?

CCXXXVI.

In idem argumentum.

Non sibi, sed conjux tibi vixit Livia: vivit
Nunc sibi caelesti Diva potita domo;
Nec tristes agitat moesto sub pectore curas,
Vel tibi, vel proli dum timet assiduè.
Curae omnes, abiit timor omnis: castus at ille,
Qui vos mirè ussit, nunc quoque perstat Amor.

CCXXXVII.

In idem argumentum.

Exemplar morum, periit bona Livia; plorat
Jacturam largis Parthenope lacrymis;
Nec vitae digito monstratur, forma pudicae
Quae sit; narratur, sed modò quae fuerit.

CCXXXVIII.

In idem argumentum.

Pone modum lacrymis: vivit tua nunc tibi conjux,
Sedibus et gaudens degit in aetheriis.
Nec metuit, nec jam sperat; sed functa periclis,
Omnibus et dempto fine potita bonis,
Securos inter ducit convivia Divos,
Æterna et felix vescitur ambrosia. (est;
Pone modum lacrymis: quam ploras, condita portu
Nos fluctu miseri volvimur in medio.

CCXXXIX.

In idem argumentum.

Felices quando norunt mortalia Divi,
Resque hominum spectant sedibus e placidis,
Istis, Vincenti, laetatur Livia curis
(Credo equidem), atque tuis gaudet ab officiis.
Fòrsque suum narrat Superis a conjuge caro
Inferri aeternam nomen in historiam;
Atque suas prodi vatum quoque carmine laudes,
Omnivori ut vitent tristia damna senis.

CCXL.

Ad Vincentium Karaphaeum Liviae conjugi, nummo cuso, et carminibus collectis justa solventem.

Dixi ego, quum solido conjux tua cusa metallo est,
Vivet io! multas Livia olympiadas.

Idem, quum docto celebrata est carmine, dixi:
  Vivet, io! innumeras Livia olympiadas.
Ite ambo clari per gentes nuptaque, virque,
  Exemplum sancti nobile conjugii.

CCXLI.

Ad Vincentium Karaphaeum.
De Liviae conjugis
imagine ad Auctorem missa.

Nota suis fuerat virtutibus, en mihi vultu
  Nunc etiam tandem Livia nota suo est;
Quam simul ac vidi, fletu pol! conjugis, inquam,
  Pol! vatum sacro carmine digna fuit:
Digna sua aeternum servari in imagine, digna
  Nulli non omni semper honore coli;
Praecipuè nobis, munus memorabile, amoris
  Haec quibus est, Princeps, pignus imago tui.

CCXLII.

De Navi aëria.

Ingenio nulla est res dura, atque ardua: celsas
  Per nubes puppis Gallica tendit iter.
Fòrs etiam aetheriis olim se se inferet astris,
  Argiva caelo dignior illa rate.

CCXLIII.

Ad Thyphin de Navi aëria.

Thyphi Argive, tuam sileat jam Fama carinam;
  Hanc memoret, caeli quae secat alta vias.

Digitized by Google

Grajugenam vicit Gallus: Tu per vada ponti
Curris, in aëriis nubibus ille volat.

CCXLIV.

Ad Graeciam de Gallico navis aëriae invento.

Daedaleos jactas quid nisus, Graecia? fluctus
Gallia sola potest nare per aërios;
Laude sua quae te tam vincit Gallia, mendax
Fabula quam vera vincitur historia.

CCXLV.

De navi aëria.

Scire piget, vitae quos duci possit ad usus
Cymba recèns nubes acta per aërias.
Scire sat est, caeli vectum sub caerula templa
Isse leves inter tandem hominem Zephyros;
Scire sat est, fieri quod nunquam posse putatum est,
Humano effectum denique ab ingenio;
Scire sat est, tot post laudum decora ampla tuarum
Hoc tibi partum uni, Gallia pulcra, decus;
Eximium decus, et cunctis memorabile saeclis,
Desit ut, haud deerit quae tamen, utilitas.

CCXLVI.

De Tullii simulacro apud hominem stolidum.

Tullius hoc vivit sub marmore, sed tacet, hujus
Quod domini stolidas despicit auriculas.
Veneris huc, Stay, vel tu, Bonamice, loquetur,
Ore merum promens nectar, et ambrosiam.

CCXLVII.

Ad Florentiam, de Dante Aligherio.

Te fraudum sedem, ac sceleris, Florentia, Dantes
Ille tuus dixit; nec tamen eripuit
Splendoris tantum, quantum dedit. Illa dolentis
Credita non ulli vana querela jacet;
Sed magis atque magis tua laus viget; esse fereris
Quod semper Thusci Patria Maeonidae.

CCXLVIII.

Ad Petrum Pizzellium
de hymno S. Petri,
quem Stayus scripsit, cujusque modos ipse fecit.

Quàm res, verba, modi constant! quàm quidque co-(haeret,
Ac verae ad leges nectitur harmoniae!
Staïus aptavit rebus verba omnia; verbis
Omnes aptasti tu bene, Petre, modos.
Ergo quod canitur, non solas influit aures,
Dulci sed mentes commovet illecebra;
Clavigerum et caeli dum laudant carmina; miro
Interea nostrum pectus amore calet:
Nec solùm audimus fundi, sed fundimus ipsi
Certatim auditas corde silente preces.

Digitized by Google

LIBER QUINTUS.

EPIGRAMMATA SATYRICA.

I.

In Postumum
malè, et ineptè
De Virgilio, et Homero judicantem.

Quanti Virgilius, quanti sit magnus Homerus,
Nescis pol! quamquam, Postume, scire putas.
Amborum ignoras pretium; componere utrumque
Vis tamen, et palmam das, rapis alterutri:
Nec minùs interea rideris, quàm si puer astra
Si terra ignarus comparet ex humili,
Dicat et hoc illo majusve, aut altius esse,
Nec dicti causam noverit ipse sui.

II.

In idem argumentum.

Virgilio magnum magno componis Homerum,
Quisnam sit major, Postume, uti statuas,

Digitized by Google

Id video, et ridens miror, mi Postume, tantos
Tantilla poni tam fatuè in trutina:
Ut velit in gemina si quis suspendere lance
Hinc Haemum, hinc celsis culminibus Rhodopen.

III.

In idem argumentum.

Magnum Virgilium, majorem dicis Homerum,
Nec falsò dicis forsitan id, Licini;
Sed certè dicis temerè: metitus utrumque
Vatem namque tuis exiguus modulis,
Non potis es, quàm sit magnus, deprendere, uterque,
Ignoto ignotum turpiter anteferens.

IV.

Se non homines, sed vitium culpare.

Agnoscet si fortè meo se in carmine quisquam,
Arguto parcat dicta dolore queri,
Ne, fuerit si fortè loquax, se scilicet ipse
Prodat, et invito vulnus ab hoste ferat.

V.

Ad Varum de ejus libro.

Legi equidem tua scripta; rogas, quid sit mihi visum?
Stat nil, Vare, boni dicere, nilque mali;
Ne tibi displiceam verax reprensor, amice,
Laudator mendax ne mihi displiceam.

Digitized by Google

VI.

In hominem ineptum Roma discedentem.

Quinte, abis hinc patrias longè digressus in oras:
Nos desiderium triste tui macerat;
Me primum ante alios, cui pol tua factaque semper,
Quod scribam, largè dictaque suppeditant.
Te dempto, pereunt mihi centum epigrammata, dempto
Nam te, nulla joci materies superest;
Nemo est, qui faciat quidquam, vel dicat ineptè,
Nulla seges lepidi carminis exoritur.
Quinte, redi: praesens tu me facis usque poëtam;
Te sine Musa mihi defit et ingenium.

VII.

Ad Quamdam de Varo custode.

Quae Varum ducis custodem, quis tibi custos,
A Varo qui te protegat, est alius?

VIII.

Ad Quintillam de Varo eam comitante.

Cui scis immodico succendi pectus amore,
Atque cupidinea fervere corda face,
Custodem ducis Varum, Quintilla, pudoris?
(Sensi equidem) credi casta, nec esse cupis.
Ni foret id, nolles uti custode, pudori
Insidias primus qui struat ipse tuo.
Pelle istum; dein sola ito quòcumque libido est:
Crede mihi, longè tutior ire potes.

IX.

Ad Corvinum
rogantem, quid scriberet.

Quaeris, quid scribam. Tibi nil, Corvine, venusti,
Cui nullus fatuo in pectore sensus inest;
Cui fragor, et strepitus tantùm, cui verba probantur
Deducta in longum grandia sesquipedem;
Quasque malo ampullas ebullit concitus oestro,
Daphnis Romana magnus in Arcadia.
Is, Corvine, roga, quid scribat; parce rogare,
Quid tenui dictet mi mea Musa sono;
Quid soli scribam Lydae, qua judice malo
Esse aliquid, toto judice quàm populo.

X.

In fatuum Petrarchae carminum
contemptorem.

Petrarcham torpere gelu, te ardere, Lycota,
Quo Phoebus vates concitat, igne putas?
Cujus ego soleo fatuos ridere furores,
Verborum et vanam spernere luxuriem;
Quem, mage quò passim succendere cuncta putas tu,
Hòc mage consuevi dicere frigidulum,
Et pictae similem flammae, quae gliscere visa
Nec quemquam incendit, nec calet ipsa tamen.
Talis Petrarcham spernas? cui dulcè canenti
Assurgunt Pindi e vertice Castalides;
Ardua quem celeri superantem nubila penna
Ipso stratus humi vix tu oculo sequeris.

Digitized by Google

XI.

In ineptum rei publicae administratorem.

Nempe tumes, rerum tractas quòd multus habenas;
Nullaque non per te publica res geritur.
Id levis ostentas; nec te pudet, improbe, pessum
Quòd malè das, per te tam malè quod geritur?
Quas geris, Aule, nequis rebus prodesse; gerendis
Abstineas rebus, denique ne noceas.
Hoc tibi turpe putas? Multò est at turpius istud,
Perdi opera assiduè teque tuosque tua.

XII.

Ad Attalum poetam extemporalem.

Ultro quae in buccam veniunt, canis, Attale, raptim;
Inde tumes, vates mirus et esse putas,
Falleris: hoc nomen potis est vix ille mereri,
Acri qui expendit singula judicio,
Quem limae exercet durus labor, usque retractat
Carmina qui cura pervigil assidua.
Sic pauci: temerè quo tu canis, Attale, pacto,
Nemo fuit lauro dignus Apollinea.

XIII.

Ad Philosophum communis vitae ignarum.

Plurima scis, vulgus quae nescit; vulgus at omne
Te passim stultum praedicat ac fatuum,
Miraturque rudem sensus communis, ineptum
Omnibus et vitae ridet in officiis.

Ignosco vulgo. Cernis qui Lynceus astra,
Ante pedes quae sunt, aspice, Philosophe.

XIV.

In Dicacem.

Parva cutim invasit Getuli musca leonis,
Ac laesum rostro credidit esse suo;
Et quum, quos suevit, rugitus ille cieret,
Vulneribus, dixit, quàm dolet ille meis!
Haec tibi scripta puta, morsu qui parvus inerti
Perstringis magnos, Eune proterve, viros.

XV.

Ad Aulum insulsè jocantem.

Parce joco; talem non te decet, Aule, jocari;
Frigidus insulso prodit ab ore jocus.
Nemo tibi arridet, nemo non dicta molestè
Fert tua, et invitis excipit auriculis;
Nemo, unus fatuos tollis dum saepe cachinnos,
Non altum irato pectore dat gemitum.
Parce joco; parce, o, tandem, tacitusque sedeto,
Si potis es: moestum dic aliquid potiùs;
Hoc potiùs: gravis est mala naenia, sed tamen omnis
Est magis, Aule, tuo naenia grata joco.

XVI.

Ad Ponticum, valetudines suas narrantem.

Narra istaec Medicis; tibi quae malè sederit esca,
Aura ubi te flatu laeserit immodico,

Quàm tibi distenti crucient praecordia nervi,
  Quàm malè sit ventri, quàm lateri, aut capiti.
Hoc toties audire nocet mihi, nec tibi prodest;
  Tristis enim postquam desiit historia,
Digredimur, nihilo corpus tu sanior, atra
  Æger ego mentem, Pontice, moestitia.

XVII.

In Licinium,
de generis nobilitate gloriantem.

Clarum saepe genus jactas malè degener. Unde
  Sis, quid opus sciri, qui nihili es, Licini?
Quem nihili esse omnes scimus, quid scire necesse est,
  Queis ortum, infelix, duxeris a proavis?
Inachidam vel te quantùm vis, vel, magis istud,
  Si fortè arrisit, dicito Cecropidam:
Inachus, et Cecrops insigni laude feruntur;
  Tu tamen his ortus non minùs es nihili.

XVIII.

Ad Amatorem
sibi de se plus aequo credentem.

Dicis amicitiam, quae foeda est nempe libido,
  Ipsum et te fallis scilicet, Antigene,
Incestusque Paris, caeca tibi mente videris
  Esse tamen casto castior Hippolyto.
At quicumque videt, qui te audit cumque loquentem,
  Hic miser Idalio, dicit, ab igne calet.
Quid? tibi tu, Antigene, soli, de te tibi soli,
  Quàm toti mavis credere tu populo?

XIX.

De Polla parum castigatè jocante.

Esse probam dicunt Pollam, castisque pudicam
Moribus, at verbis ludere turpiculis.
Id miror: pandunt nam mores verba; vetusque,
Si memini, dictum est: Te ut videam, loquere.

XX.

In Licinium malè officiosum.

Is ultro, citroque alacer, visisque, colisque,
Quantam vix possim dicere, turbam hominum;
Ipse, tuum quod sit, nil curas: res tibi pessum,
Pessum uxor, pessum filius it, Licini;
Tu studio interea totum te impendis inani
Urbani cultor sedulus officii.
Officium at primum est, quo debes, munere fungi;
Omnibus hoc praefert vir bonus officiis.

XXI.

Ad Quintum inverecunda jacientem.

Improbus incestos foedè testantia mores,
Quinte, domo in casta turpia verba jacis.
Nonne vides circum tacitos mussare sodales,
Atque tuos tristi spernere fronte jocos?
Nec praebere aurem fanti, vultuque severo
Sermonem quòvis vertere velle aliò?
Quaere domos nequam, tua sit quibus apta libido;
Haec colit innocuus candida tecta Pudor.

XXII.

Ad Levinum, intemperanter de se loquentem.

Nunquam non loqueris de te, Levine: loquentis
" Dixi ego, ego feci ", semper in ore sonat:
Quid factum, dictumque tibi, nil scire laboro;
Tam parva, et tenui laedor ab historia.
Parce, precor, nugis aures obtundere ineptis,
Tamque tuum crebrò dicere stultus " Ego ";
Parce, precor: de se toties tam multa loquentem
Vel magnum patiar vix ego Scipiadam.

XXIII.

De Gellia, se vel citra, vel ultra modum vestiente.

Ne multa pinguis videatur Gellia veste,
Veste carens glacie contremit in media.
Æstu eadem contra metuit quòd macra videri,
Vestem non sumit, quanta opus, at nimiam.
Sic miseram nunquam non torquet cura placendi,
Sic vestit se se non sibi, sed populo.

XXIV.

In Lycurgum hominem arrogantem.

Nusquam non odio es, quo te fers cumque, Lycurge,
Isto cum vultu, fronte, supercilio;
Quoquo etenim venias, confestim regna capessis,
Quaeque dedit nemo, tradita sceptra putas;
Imperium exerces in cunctos, cunctaque dici,
Cuncta tuum fieri poscis ad arbitrium.

I, servis da jura tuis: quae libera turba est,
In coetum socios excipit, haud dominos.

XXV.

In inficetum narratorem.

Esto, Quinte, brevis, cum narras quidlibet: unum
Tam malè narranti unum hoc video remedî.
Ut placeas unquam, spes nulla est; hoc age saltem,
Si sapis, ut parvo tempore displiceas.

XXVI.

Ad formosam de inepto Laudatore.

Quàm sis pulcra, vides, speculo quae affixa nitenti
Nugatrix totos perdis inepta dies.
Nil opus id dici semper tibi: dicit amator
Id tuus, et, dempto fine, iterat Chariton:
Dempto fine, queat nemo ut jam ferre nec illum,
Nec te, nec formam, quae tibi cumque, tuam.
Pulcra Helene, mage pulcra Venus; laudarit utramque
At si quis toties, utraque displiceat.

XXVII.

Ad Cinnam de divitiis gloriantem.

Divitias jactas: vitae istaec dira venena,
Usus contigerit ni bonus, esse reor;
Et malus est usus certè jactantis ineptè
Verbis mi sua tot commoda stultiloquis.
Irus malim equidem fieri, quàm turpiter isto
Propter divitias, Cinna, tumere modo.

Digitized by Google

XXVIII.

De Cinna frustra memoria valente.

Cinna memor rerum thesauros possidet in se,
Thesauris uti nescit at ipse suis;
Ligna velut si quis, lapides, cementaque cogat,
Efficere exiguam nec sciat inde domum.
Materies nihil est, quantumvis multa, peritus
Materiem certa ni struat arte faber.
Quò mihi tota Paros nil gnaro sculpere? Sculptor
Vel parvo faciet mirum opus in lapide.

XXIX.

Ad Aulum hominem levissimum.

Quaere alium, quem vis, qui te ferat, Aule, natantem
Instabili hàc illàc turpiter ingenio.
Certa placent; odi mutantem Protea formas;
Mollem, hirtum, alternis difficilem, facilem.
Qui vis cumque, esto; liceat modò dicere de te;
Qualis hic est hodie, cras mihi talis erit.

XXX.

In foedam Mulierem gemmis ornatam.

Foeda istaec facies gemmis ornatur Eois?
Anne, sit ut multo in lumine nota magis?
An, tota in claris defixa ut mente lapillis,
De foeda quaerat nil populus facie?
An, facies oculos quàm laedit foeda tuentes,
Pulcher ut assiduè tam juvet ille nitor?

Quidquid id est, luce in media nox displicet ista,
Mirè ubi rixantur lumina cum tenebris.

XXXI.

Ad Varronem de ejus judicio.

Quod tibi displicuit, carmen mihi perplacet, ipsum
Hoc propter, Varro, quòd tibi displicuit,
Cujus ego soleo nusquam non futile, nusquam
Non vero abludens, temnere judicium.
Atque inter doctos promo cum scripta sodales
Quae dictat vati Calliopea suo,
Saepe bonum ut carmen me dicam promere, dico
Hoc Varro carmen judicat esse malum.

XXXII.

Ad Quendam in sermone clamosum.

Cur coetu in socio vocem sic tollis, Amice,
Pulsatas nobis rumpat ut auriculas?
Non hìc oramus causas; de more vicissim
Sed, quod res tulerit, mutua colloquimur.
Omnibus audiri non est opus omnia, quae tu
Praesertim effutis tam malè, tam leviter.
Voci parce, oro; nulla est jactura, loquentem
Si te nec sessor proximus audierit.

XXXIII.

Ad Gelliam anum fucatam.

Cum tacita es, juvenem simulas te, Gellia, fuco;
Cum loqueris, tremula voce fateris anum.

XXXIV.

Ad Gelliam de Filiarum institutione.

Nempe tuae discunt bene psallere, Gellia, natae,
  Compositos choreis et bene ferre pedes,
Et mulcere aures cantu bene, pingere formas
  Tot bene, tot linguis et bene posse loqui.
Vivere qui miseras doceat bene, dic mihi, num quis
  Officii doctus jura magister adest?
Curantur nugaeque leves, et inania rerum;
  Quod caput, in quo sunt omnia, negligitur.

XXXV.

Ad Glauciam de amore Platonico.

Quid sit Amor, quaeris, Plato quem dilaudat? amare
  Quo tu non potis es, Glaucia, sed sapiens.
Possit Amor corpus qui spernere, mente morari
  In sola, atque alii, non sibi velle bonum;
Cura vigil quem sollicitet noctesque diesque,
  Cui bene vult, fiat perpetuò ut melior;
Nil extra ut numerum faciat; virtutis honore
  Ut magis atque magis clareat omnigeno.
Hunc Plato nimirum, sed non tibi, laudat amorem:
  Non cuivis quidvis, Glaucia, posse datum est.

XXXVI.

De Lycoride pulcra, et injucunda.

Cur nulli placeat, nulli non pulcra Lycoris,
  Quaesitum id frustra dicere nemo potest:

Possumus hoc, omnes hoc uno dicimus ore:
  Pulcra est pol! nulli sed tamen illa placet.
Foeda etiam, quaevis, vel paucis, vel placet uni,
  Nec paucis, uni pulcra nec illa placet.
Id quînam fiat, quas vita laedit in omni,
  Iratae norunt, credo equidem, Charites.

XXXVII.

Ad Meniscum de carmine longo, et brevi.

Longum, ais, esse, alii quidquid cecinere, Menisce;
  Esse putas tantùm, quod canis ipse, breve. (gum:
Est breve mi, canitur quidquid bene; quod malè, lon-
  Ilias ipsa brevis, longum epigramma tuum.

XXXVIII.

Ad Cinnam Aristotelis, et Platonis contemptorem.

Temnis Aristotelem, divinum, Cinna, Platonem
  Temnis; et id passim dicere non dubitas?
Nil opus est ultra; satis hoc audire superque est,
  Noscare ut sanae mentis habere nihil.
Legistine ambos? non lectos temnere magna est,
  Est major lectos temnere stultitia.

XXXIX.

Ad Levinum Poëseos contemptorem.

Spernere te sacram dicis, Levine, Poësim;
  Te ut spernam, dici nil opus est aliud.
Id satis est unum, noscare ut durus, et asper,
  Hirsuto et foedè barbarus ingenio;

Et fatuus, qui non dubitas tua probra fateri,
Sponte tua et narras dedecus ipse tuum.

XL.

Ad Tuccam,
cur ejus de suis carminibus judicium contemnat.

Esse aliquid videor quòd carmine, Tucca, Latino,
Non mihi tu id, saeclo sed magis huic tribuis,
Quo Latias pauci tractant, noruntque Camoenas,
Inter quos fieri sit facile eximium.
Id quidem ego credo; credo at mihi, non tibi, Tucca,
Cujus nempe reor futile judicium;
Qui mea, dispeream, tanto quae carmina fastu
Spernis, metiri si potis es digitis;
Qui, quae lecta parum, nec pulcra, et grandia dicis,
Dispeream, si scis, quid sibi verba velint.

XLI.

Ad Ponticum, bene,
sed immoderatè loquentem.

Eloquio, fateor, praestas, mi Pontice; quisque
Hoc tamen a coetu te procul esse cupit.
Huc quoties infers te, magno moesta sodales
Cum gemitu ad terram lumina dejicimus,
Deprensi et veluti verso pallescimus ore:
Torpent frigidulo praescia corda metu;
Quippe ingens instat clades, audire loquentem
Perpetuò; contra posse referre nihil.
Hac Cicero in coetum veniat si lege; facesse,
Clamarem; nulli non gravis es, Cicero.

XLII.

Ad Postumum de ejus carmine.

Gibbum equidem, nuper quod scripsti, Postume, (carmen,
Et foedum adnatis dico ego tuberibus.
Ædepol hinc, Sanè hinc, Reverà hinc prominet, esset
Queis carmen demptis pulcrius et levius.
Hoc tibi de Verbis; de Sensu hoc, Postume, dico:
Non gibbum est, fateor, carmen, at aridulum;
Aridulum sanè, reverà (valdiùs ut rem
Adfirmem, jurans) aedepol aridulum.

XLIII.

In Tuccam Platonis contemptorem.

Ignoras totum, credo, mi Tucca, Platonem,
Quando illum frugis dicis habere nihil.
Ignoras totum, credo, te, Tucca, Platonem
Quando judicio pendis, inepte, tuo.
Nec sentis tu stratus humi, super alta volantem
Astra illum nequeas prorsus ut adspicere?
Ut prorsus nequeas voces tam docta sonantis
Tam rudis indoctis auribus excipere?

XLIV.

Ad Varum de Joanne Casa.

Vare, Casam dicis verbosum; quòd reor esse
Hercle tibi, cui res praetereunt animum,
Aures verba unas cassa dulcedine mulcent.
Mentem adhibe; scriptor singula quae sapiens

Expromit, pensa lentus; dicetur, Amice,
Qui nunc verbosus dicitur, esse brevis.

XLV.

Ad Varum de Petri Bembi carminibus.

Petrarchae similem ne Bembum despue, Vare;
Laudem ne vitio da, precor, eximiam.
Sic osor Bembi, quoties tua carmina scribes,
Bembum aliqua inferior parte tamen referas;
Nec magno pergas, similis quàm dicitur ille,
Tam tu Petrarchae dicier absimilis.

XLVI.

In Quemdam Horatiani carminis reprehensorem.

Tantillus tantum haud dubitas reprendere vatem,
Et Flacci carmen dicere frigidulum?
Nec metus est, Pindi sacro de vertice Musae
Ne te furcillis praecipitem ejiciant?
Nec metus est, odio dignus, dignusque cachinnis
Alter ne dici Zoilus incipias?
Crede mihi, magnum tacitus mirare poëtam,
Neu cycni cantu graculus obstrepito.

XLVII.

Ad Varum de lingua Latina.

Vare, ais, et pugnas, linguam periisse Latinam.
Haud periit, doctis vivit at usque viris;
Doctorum ut vixit, sic vivit in ore virorum,
Et vivet saeclis innumerabilibus.

Nolo illam prorsum dicas periisse: popello
Dic vili, si vis, dic, periisse tibi.

XLVIII.

Ad indoctum doctorum comtemptorem.

Prima virûm magno contemnis, Glaucia, fastu,
Quorum fama ingens docta per ora volat;
Non secus ac celsos vasta si mole Gigantas
Contemnat parvo corpore Pumilio.
Nosce ipsum te jam, cuivis dein confer, inepte,
Quemque queas meritò spernere, nullus erit.

XLIX.

Ad Levinum,
Raphaelis Sanctii tabulam declarantem.

Artes pingendi nescis, Levine; docere
Nos tamen has crebrò garrulus aggrederis.
Cernere te solum credis, quae cernimus omnes,
Uni acres ceu si contigerint oculi.
Unus ceu noris, populo quae Sanctius omni
Noscenda in claris proposuit tabulis.
Non placet interpres; Raphaël divinus abunde
Usque sua, quod vult, indicat usque manu.

L.

Ad Varum,
orationem legentem minimè Tullianam.

Vare, meas aures, si quid sapis, effuge; suerunt
Divino Tullî vescier eloquio.

Quaere alium, ambrosiam qui non gustaverit, isto
  Contentus vili possit ut esse cibo.
Hoc moneo; tua scripta legis tu, Vare, monenti;
  Ergo nil prorsus non mihi despuitur:
Nil non insulsum prorsus, fatuumque videtur,
  Et dignum caeco sub lare nocte tegi;
Nocte alta, nemo ut videat, nemo audiat unquam,
  Tullî qui suerit vescier eloquio.

LI.

Ad Corvinum. Vaticinium de lingua Latina.

Scita vides Phario Sapientum in marmore scripta,
  Posset ne quidquam longa abolere dies.
Frustra; signa manent non intellecta; tuemur
  Et cassas rerum (res latet ipsa) notas.
Fata prement nostros eadem, Corvine, libellos:
  Hasque videns aetas postera literulas;
Haec, dicet, verbis olim sunt scripta Latinis;
  Nec noscet, sibi quid verba Latina velint.

LII.

Varus Æliae conjugi de funebri Indorum ritu.

Vir jacet ecce rogo impositus; festinat eodem
  Una viro dulci nupta futura comes;
Nec pallet, verso absistit nec territa vultu,
  Et flammam gaudens irruit in mediam:
Stant aliae circum flentes pudibundaque celant
  Ora; dolent pariter non licuisse mori.
Haec ubi tanta fides? procul hinc, procul Ælia, longè
  Litus ubi Eoo tunditur Oceano.

Sic ait, ac gemitum Varus dedit: Ælia ocellos
Dejecit tacitae conscia nequitiae.

LIII.

Ad Quintum majora viribus aggredientem.

Nil non perpetuo moliris, Quinte, labore,
Ut venias clarum nomen in ora virûm.
Parvum, operi magno nec par sed, Quinte, labascit
Ingenium, et nisu deficit in medio.
Saxum urges tamen usque adverso, Sisyphe, monte,
Praeceps quod prono volvitur inde jugo.
Menti pone modum cupidae; compesce furentem
Sanus ventoso in pectore gloriolam.
Quandoquidem, quae vis, non es potis, incipe tandem
Velle tibi haec tantùm, quae potes efficere.

LIV.

Ad Cinnam, Poëtae carmina contemnentem.

Dicis, Cinna, meae quidquid cecinere Camoenae,
Esse nihil, lusus, et sine mente jocos.
Cerne: hìc sunt vitam quae possint lecta juvare,
Resque bonae multum ludrica frugis habet.
Cerne: quid at cernas nugator? spernere vatum
Scripta potes, non tu noscere, Cinna, potes.

LV.

De homine malè rudi et indocto.

Cum vidi, possum bipedem te dicere; cum te
Audivi, possum dicere quadrupedem.

LVI.

De Cimarosa Romae exploso.

Cimarosa diu placuit, nunc displicet Urbi;
Urbs levis est? artem nescit an ille suam?
Nescit, qui scibat nuper tam multa, doceri
Ipsa mirificè visus ab Harmonia?
Urbs levis est; omni magis est Urbs mobilis aura,
Nec stat, judicio sed natat usque suo;
Priscaque si dentur, quaerit nova; si nova dentur,
Nauseat, atque iterum vult sibi prisca dari.

LVII.

In Cinnamum patremfamilias imperiosum.

Tux, ferus imperitas uxori, Cinname, natis
Atque tuis, ulli nec locus est veniae.
Clamas, objurgas, contra hiscere non licet ulli;
Cuncta tuo fiunt (jus tacet) arbitrio.
Fortunam laudo, pauper quòd natus, inopsque
Exerces parvum scilicet imperium.
Regnandos tibi si populos daret illa, tyrannos
Istaec barbaries vinceret Odrysios.

LVIII.

De Tucca Libros coëmente.

Emit librorum tria millia Tucca: rogas, quid
Legerit inde? omnes, quotquot erant, titulos.
Hoc tantùm e libris discit sibi: caetera discat,
Si quis erit limo de meliore, nepos.

LIX.

In Quintum,
quem malus poëta vocarat Catullianum.

Qui docto similem dixit te, Quinte, Catullo,
Fallitur; haud quidquam est nam mage dissimile.
Ipsa lucidior splendet prope luce Catullus;
Obscuris at tu obscurior es tenebris:
Ille sua ingenuo contingit scripta lepore,
Tu rude nescio quid scribis, et illepidum:
Illum docti omnes mirantur, te probat unus,
Quem, sua quum recitat carmina, nemo probat.

LX.

In senem coram puero turpia narrantem.

Foede senex, puero coram qui turpia narras,
Ut video, rursum es factus et ipse puer.

LXI.

De Lydia,
mortuo ejus viro.

Odisti vivum, nunc, rapto conjuge, ploras,
Lydia. Habent lacrimas gaudia nonne suas?

LXII.

Cur nemo sine dote uxorem velit ducere.

Uxorem ducit nemo sine dote. Requiris
Causam? Quòd gratis vult sibi nemo malum.

LXIII

Ad Amicum poscentem carmina in funere Sacchini.

Sacchinum laudare tuum dum pergis, Amice,
Carmina et invitis poscere ab Arcadibus,
Nec modus est ullus poscendi, nec pudor; et tu,
Tecum et Sacchinus jam, puto, displicuit.
Sacro parce, precor, cineri, ne tam bonus ille
Esse odio per te mortuus incipiat.

LXIV.

In Varum ineptè Lycoridis laudes canentem.

Quam tu, Vare, canis, cantari est digna Lycoris;
A te cantari non tamen illa velit.
Deteris ingenii culpa, quibus inclyta fulget,
Tot laudes animi et corporis eximias;
Affundis luci tenebras; fit turpis, ineptè
Dum canitur, cunctis digna puella cani.

LXV.

In idem argumentum.

Pulcra tuas renuit laudes, spernitque Lycoris,
Carminibus nec vult nobilis esse tuis.
Moribus illa suis claret, formaeque lepore,
Romulea et magnum nomen in urbe sonat.
Quod sibi jam debet, non vult debere Poëtae
Ingenio, et cassis, Postume versiculis.
Parce queri, Musamque aliò converte: puella,
Hanc sibi quòd non vult, pol sapit eximiè.

LXVI.

Ad Quintum de ejus carminibus.

Pura fluunt leni lapsu tua carmina; nil non
Excultum, nil non est nitidum eximiè.
Ergo placent, inquis; quin mirè ingrata legenti
Aut somnum, aut iram, Quinte, ciere solent.
Quî fieri id possit, quaeris? Dic: fercula quî fit,
Ut, sale ni spargas, omnia displiceant?

LXVII.

In malum Tragoediae Scriptorem.

Quem veterum e scriptis totum corrasit Ulyssem
Jurabat nuper Quintius esse suum.
Commissum at scenae densa inter sibila postquam
Explodi vidit, jam negat esse suum.

LXVIII.

In Aulum dicentem, Poëtam scribere communia.

Quae scribo, dicis communia; forsitan et sunt,
Communis, credo, quòd mihi sensus inest.
Tu, quem communi sensu ajunt, Aule, carere,
Scribe; id erit, quidquid scripseris, omne tuum.

LXIX.

In Varronem.

Omnia deposcit Varro sibi munia. Quid tum?
Non magnus labor est omnia negligere.

LXX.

In Quemdam, Bembum, et Casam parvos fuisse vates dicentem.

Qui parvos dicis Vates Bembumque, Casamque,
Te dici nullum, Cinname, posse puta.
Nam procul a parvo tam nullus distat, opinor,
Distas a Bembo quam procul atque Casa.

LXXI.

In Orcam nil pulcri a quoquam scribi putantem.

Nil pulcri a quoquam scribi putat Orca; putabit
Et semper, donec scripserit ipse aliquid.
Expertus discet, quàm sit contemnere pronum
Quidvis; quidquam aptè at scribere difficile;
Et collata suis censebit pulcra, videntur
Quae fatuo pulcri prorsus habere nihil.

LXXII.

In Advenam vatibus Ausoniis infensum.

Ausoniae pulcras qui nuper venit ad oras
Hospes longinquo vectus ab oceano,
Nec sibi adhuc fecit Thuscae commercia linguae;
Nec Thuscas certè sentit adhuc veneres,
Pensitat Ausonios non aequo examine vates,
Nec dubitat pretium ponere cuique suum.
Quidnam Itali? rident ignarum ignota loquentem,
Jure suo et spernunt futile judicium.

LXXIII.

In Quemdam
Ludovicum Ariostum spernentem.

Divinum, quo se jactat Ferraria, Vatem
Spernere tu tanto nempe supercilio?
Illi quod placuit, pravum tu dicere quidquam,
Carpere tu quidquam, quod probat ille, potes?
Nec metuis, male caute, virum quae suspicit, omni
Magnus ne fias risus in Ausonia?

LXXIV.

In Varronem sua carmina spernentem.

Si mala sunt, scribo indoctus quae carmina, sperni
Illa tibi, Varro, digna ego confiteor,
Aut aliis potiùs: (nam tu quî spernere possis
Jurè mala, haud possis, vel mala, qui facere?)
Sin bona sunt, Varro, pecudem brutam reor esse,
Audet qui diae spernere mentis opus.

LXXV.

Lycoridis amatorem
inducit Poëta.

Hìc gelidae rupes, hìc saxa horrenda, Lycori,
Antraque montanis vix adeunda feris.
Hìc quid agam, quaeris? mecum tua facta recordor,
Et fastus, misero qui doluere mihi;
Et dico: infelix haec praestat vita, Lycoris
Duro quo pressit me mea, servitio.

LXXVI.

Ad Postumum, de ejus in Pollam officiis.

Foedus amicitiae simul ictum est, Postume, Pollam,
Teque inter, dextrae dextraque juncta fuit:
Nil opus est istud nulla non luce novari,
Et vestras cupidè jungier usque manus.
Quod semel est factum non turpiter, hoc, mihi crede,
Ambo jam facitis turpiter assiduè.
Tangere enim, ac tangi gaudet vitiosa libido:
Purus amor dulci pascitur alloquio.

LXXVII.

In malum Poëtam.

Tu tua contemni miraris carmina; contra
Id te mirari, Glaucia, miror ego:
Tam mala sunt etenim, magnum rear ut prope mon-(strum,
Illa vel auctori posse placere suo.

LXXVIII.

In Aulum insulsa, et ingrata loquentem.

Aure mea si te posses audire loquentem,
Aule, semel, nolles jam, reor, Aule, loqui:
Nil magis insulsum est, vacuum nil est magis omni
Fruge bona, ingratumque auribus, atque animo;
Nec remedì quidquam est, ni prorsus parcere verbis:
Hoc uno potis es consuluisse tibi.

LXXIX.

In Quintum; quare Leonilla secum officiosa sit.

Quòd coetu in magno venienti occurrit amicè,
Quòd solita est omnes dicere delicias,
Quòd dextram dextrae jungit, quòd blanda tuetur,
Quòd prope complexu te, Leonilla, fovet:
Haec debes foedae, si nescis, Quinte, senectae.
Non faceret juveni quae facit illa seni.

LXXX.

In Phyllidem nimis blandam.

Dotibus eximiis Phyllis praestare putatur,
Et praestat (nempe id, Postume, confiteor).
Sed juvenes non tot se circa Phyllis haberet,
Donaret dotes ni facilè eximias.
Largus opum colitur vulgo, raròque petuntur,
Qui servant clausas, Postume, divitias.

LXXXI.

In Aulum, proavos saepe memorantem.

Qui proavos memoras nobis tam saepe; nepotes
Te ne, erit, ut memorent, Aule, tui proavum?

LXXXII.

In Cinnam senem, connubium celebrantem.

Connubium celebras tam canus, Cinna, puella
Fiat ut infelix uxor, an ut vidua?

LXXXIII.

In fatuum cujusdam cantoris laudatorem.

Cantori plaudis; nec scis, quae verba loquatur,
Sensa suis substent an satis apta modis.
Quid, si discordet cantu sententia? quid, si
Res dura, et molles dissideant numeri?
Scilicet id nihil est: captus dulcedine vocis
Non quaeris, quidnam vox sibi, Quinte, velit;
Nec Ratio quidquam, verùm omnia judicat auris,
Cassus mente omni cui placet ille sonus.
Sic brutas olim pecudes Rhodopeïus Orpheus
Non intellecto carmine detinuit.

LXXXIV.

In Cinnamum de ejus conjugio.

Tam foedam ut posses nancisci, Cinname, sponsam,
Quidnam opus externos currere per populos?
Nulla erat ad Tiberim, quae turpi corpore posset,
Foeda aliis, uni visa placere tibi?
Pulcra, decet, longè quaeri; deformia nusquam
Non passim innumero proveniunt numero.

LXXXV.

In poëtas nequam et ineptos.

Usque adeò vatum nugis offendor ineptis,
Malim ut, quàm vates, dicier agricola.
Non artis pudet hercle meae; sed, moribus artem
Qui turpant laevis, dispudet artificum.

Digitized by Google

LXXXVI.

In Senem ducentem Anum.

Ducis anum vetulus; non vitae (restat utrique
Pars brevis) at sociam mortis habere cupis.

LXXXVII.

In Gallum, nil sine malitia aliis dantem.

Accipere Aufidius renuit tua munera, Galle.
Cur? hamum, credo, vidit, et extimuit.

LXXXVIII.

In Cinnam
malè spernentem quemvis censorem.

Spernit censorem quemvis malè Cinna. Quid ergo
Fit? scribens mendis pol scatet innumeris;
Quantum et censorem quemvis fatuus male spernit,
Tantum lectori spernitur ille suo.

LXXXIX.

In poëtam ineptum sibi iratum,
eo quod illum ineptum auctor dixerit.

Quòd dixi nugas tua carmina, cur furis, Eune?
Non tua tu nugas carmina saepe vocas?
Cur mihi non liceat de te tibi credere? cur id,
Quod credo, tecum dicere non liceat?
Sed quoniam haud pateris, restat, tua carmina nugas
Tu sine me dicas, te sine at ipse putem.

Digitized by Google

XC.

In Gaurum
Romam contemnentem.

Contemnis Romam; magni hoc tibi, Gaure, videtur
Esse animi, verùm falleris egregiè:
Non magni est animi, rerum pulcherrima dum se
Ostendunt, pulcri, Gaure, videre nihil,
Nocturnae assimilem volucri, quae lumina Solis
Non fert, atque die nil videt in media.

XCI.

In idem argumentum.

Nil te Romulea mirari dicis in urbe,
Et mirè, ut perhibent, hòc tibi, Gaure, places;
Magni namque putas animi contemnere, quae nos
Perculsi attonito lumine suspicimus.
Nec sentis, tam mira videns qui praeterit, esse
Non multum huic animi, sed nihil ingenii.

XCII.

In Cinnam fortunas augentem,
filiumque unigenam negligentem.

Rem facis, assiduo et procuras, Cinna, labore;
At gnatum, cui res quaeritur, unigenam
Negligis, ac miserum perdi sinis, ac dare in omne
Se se praecipitem flagitium, ac facinus.
Perge; malo rem quaere bonam; se nunc malus ille;
Perdit, rem perdet post tua fata tuam.

XCIII.

Ad Battum
de inepta ejus jactantia.

Posse tuis te, Batte, putas obducere nubem
Sordibus, et coeno, quo pater, et genitrix,
Et patrii turpant te foeda mapalia ruris,
Serica quòd vestis, quòd tibi culta coma est,
Quòd veheris curru, quòd, magno non sine fastu,
Tetrarchas, Reges, omnia magna crepas.
Fallit te ratio, fallit, mi Batte; latentis
Nemo genus vellet quaerere, vel patriam:
Ex quo te jactas, Magnosque imitaris ad unum,
Quaesivere omnes: Quis genus? unde domo?

XCIV.

In Patrem magistrorum disciplinam erga filium malis exemplis corrumpentem.

Traditus egregiis morum tuus iste magistris
Officium foedè negligit omne puer.
Miraris? quaecumque boni docuere magistri
Quum pater exemplis omnia dedoceas?

XCV.

In idem argumentum.

Miraris, quî non melior sit Cinna, magistri
Dum praecepta audit tam bona quotidie?
Miror ego, quî non sit pejor, facta parentis
Dum videt infelix tam mala quotidie.

Sic puer est: auri diffidit, credit ocellis;
Quidquid et audierit, quae videt, illa facit.

XCVI.

In Mulierem malè moratam, et bene cultam.

Veste bene ornaris, malè moribus. Aufer, inepta,
Cultum, vel cultu sis mage digna tuo.

XCVII.

In ineptum scriptorem.

Nil legis, aut audis; scribis modò, verbaque fundis
Multa hercle ingenti, Postume, cum sonitu;
In multis at nulla subest sententia verbis,
A trimo afferri quae nequeat puero.
Nec miror: cassa quid scribas mente? necesse est,
Nil ubi condideris, prodeat inde nihil.

XCVIII.

In Cinnam ob amorem valde mutatum ab illo, qui fuerat.

Ex quo captus amas, proh quàm mutatus ab illo,
Qui fueras, Cinna, es! Te puerum, memini,
Mirarique viri passim, et laudare solebant;
Ecce virum nunc te despiciunt pueri,
Irridentque levem, fatuum, fatuasque loquentem
Nugas, oblitis artibus ingenuis.
Sic homines, animal sanctum illud mente vigenti,
Improbus in brutas vertit Amor pecudes.

XCIX.

In Invidum.

Invidere meae, fama est, te, Pontice, Musae.
Dii faciant, Musae nemo tuae invideat!

C.

In Glauciam malae famae hominem.

Glaucia, scis, de te multos malè dicere: multa,
Quid tum, ais, ora hominum an mi licet obstruere?
Non licet id; verùm licet hercule, quae mala dicunt,
Omnia ne dicant ex merito, efficere.

CI.

In Licinium
nescientem parta tueri.

Lucra facis, Licini, frustra; consistere nam res
Haud potis est, lucrum sumptus ubi exsuperat.
Quare qui didicit, sed nescit parta tueri,
Fracta perituris dolia complet aquis.

CII.

In Lycidam, instante senecta,
amatorium carmen scribentem.

Ceperat exacto Malus florere Novembri,
Sperabat foetus et sibi mirificos;
Irrita sed primo spes frigore concidit omnis,
Strata omnis florum pompa jacebat humi.

Haec sibi scripta putet Lycidas, instante senecta,
Cepit qui carmen scribere floridulum.

CIII.

In Ponticum, magnum sed non amabile carmen facientem.

Nempe facis magnum, sed non et amabile carmen,
Quod blandè captas mulceat auriculas,
Quod subeat pectus, circum et praecordia ludat,
Seque imis altè sensibus insinuet.
Hinc doleo interdum, nec miror, Pontice, multi
Quòd laudant, pauci sed tua scripta legunt.

CIV.

In carmina fugientem.

Carminibus blandis quercus et saxa trahuntur;
Carmina te solum, Cinname, blanda fugant.
I procul, i, vitaque hominum consortia, duris
Quercubus, et duro marmore dure magis.

CV.

In Glyconem se suaque laudantem, aliosque carpentem.

Saepe, Glycon, laudas teque, et tua; sed tua, teque
Laudanti nemo credere vult hominum:
Carpis saepe alios obliquo dente; sed illos
Carpenti nemo credere vult hominum.
Desine jam: voces in ventum fundit inanes
Frustra, cui nemo credere vult hominum.

CVI.

In Postumum stultum et tumidum.

Postume, dic, oro, cur mi pedes omnia praestas,
Quae caris cives civibus, officia?
Consistisque, caputque aperis, dextramque prehendis
Dextra, et compellas comiter; at bijugo
Idem quum veheris curru, proh Jupiter! ut me
Ignoras! ut me despicis! Hoc sapiens
Scilicet ac stultus distant: sapientibus idem,
Externae varient res licet, est animus;
Externae stultos mutant res; quale caballus
Quum tumet auratis arduus in phaleris.

CVII.

In Quinti scripta prorsus improbanda.

(Quinte,
Quidquid mendosum est, deme, inquis, quum tua,
Mittis judicio scripta probanda meo.
Demam equidem; vereor sed, demptis omnibus hercle,
Ne scripti redeat nil tibi, Quinte, domum.

CVIII.

In Ponticum,
Quadragesimae tempore nunquam verbum
Domini audientem.

Pontice, dic, oro, dum totam rite per Urbem
Rostra sacris passim vocibus alta sonant,
Auditumque omnis certatim confluit aetas,
Atque pio gaudens pascitur eloquio;

Ipse operum vacuus, nec re districtus ab ulla,
Cur nusquam in denso conspiceris populo?
Nemo oratorum placet, inquis. Pontice, credo;
Nam solet in mores dicere quisque tuos.

CIX.

In Quintum, cur auctor illi irascatur.

Irasci facilem dicis me, Quinte, nec ipse
Diffiteor, nostrum saepe calere jecur.
Sed quî, ubi te video, poscit quum seria tempus,
Nil praeter nugas velle agitare leves,
Garrituque ullum longo non ponere finem,
Sed mihi, sed sociis obstrepere usque tuis,
Si possem nihil irasci, dic: mitis, an expers
Sensu omni, atque merus dicerer esse stupor?

CX.

In Quintum officiorum immeritum.

Cur tibi, quae Cinnae tribuo, tribuisse recusem,
Cur te non isdem prosequar officiis,
Quinte, rogas? Dicam: priùs hoc sed dicito, cur tu,
Quàm mihi Cinna placet, tam mihi displiceas?

CXI.

In Divitias.

Jam satis est, quod habes; noli tibi quaerere, Calve.
Divitias, pestem, perniciemque animi, (ptas,
Queis comes it luxusque, epulaeque, et foeda volu-
Vanaque cum turpi gaudia desidia,

Fastusque, et celsa tumefacta superbia fronte,
Caecaque vesano pectore stultitia.
Haec si quis dives vitarit, possit in igne
Algere, in media, Calve, calere nive.

CXII.

In Nevium
nulli culpae veniam dantem.

Nulli vult culpae concedi Nevius, et me
Culpat, quòd veniam perfacilis tribuo.
Tamne ipsum sese ignorat, quo nullus, opinor,
Est hominum, venia qui magis indigeat?

CXIII.

In Fabullum
tempus in nugis prodigentem.

In nugis tempus dum prodigis omne, Fabulle,
Volvitur, et tacitis lapsibus annus abit.
Sic alius, dein atque alius tibi transiet annus,
Sic omnis, quanta est, irrita vita fluet;
Irrita? quin turpis, quin foeda, atque improba; magnum (est
Nam vitam in nugis perdere flagitium.

CXIV.

In Cinnam
epigrammata scribentem.

Tempora ne deses perdas, epigrammata scribis:
Nempe alio perdis tempora, Cinna, modo.

CXV.

Non canitiem, sed sapientiam facere Nestorem.

Canitiem propter vis, Cinname, Nestor haberi.
Cinname, sola facit Nestora canities?

CXVI.

In Tullum nimis laudantem magistrum.

Usque tuum quòd tam dilaudas, Tulle, magistrum,
Id ne agis, ut vulgus te putet esse aliquid?
An magis, ut noscant omnes, nihil esse, magister
Omnem in quo mirus perdidit ipse operam?

CXVII.

Quid sibi praecipuè in carmine displiceat.

Odi ego delicias verborum, cassaque rebus
Carmina; tetram odi, Pontice, barbariem
Turpantem foedis rerum pulcherrima verbis.
Horum, sed quaeris, quid mage displiceat?
Primum, primum illud mage displicet; esse quòd hercle
Elinguis potiùs, quàm sine mente, velim.

CXVIII.

In malum oratorem.

Orator malus obtundis me saepe, rogando,
Qua multùm cunctis arte placere queas?
Id facile, ac pronum est: multùm, Corvine, placebis,
Paucula si dicas; plus quoque, si taceas.

CXIX.

In malum scriptorem.

Scripta Bavì doctus nemo probat unus; id ergo
Ulturus, doctos despuit ille viros;
Et quidquid scriptum est cuivis, quamvis bene, pulcrè,
Suaviter, argutè; nil tamen ille probat.

CXX.

Quo modo pauper possit dives esse.

Si res parva tibi est, fac, sit minor, Aule, cupido:
Sic, censu quamvis paupere, dives eris.

CXXI.

Vina ingenium non posse ciere.

Carmina scripturus Virro bibit: arte cieri
Hac putat ad carmen credulus ingenium.
Quid tum? crura, caputque cientur; nulla ciere
Vina queunt prorsus, quo caret, ingenium.

CXXII.

In Aulum poëtis infensum.

Contemnis vates; juris, legumque peritos
Ad caelum tollis laudibus immodicis;
Quòd versus, credo, nullum, quòd plurima contra
Lucra ferunt rauci jurgia saeva fori.
Verùm artes lucro si pendimus, Aule, sophorum
Cui non se dives praeferat agricola?

CXXIII.

In quosdam ineptos poëtas, scribentes de recuparata valetudine Clementis XIII.

Ohe, jam satis est, ohe, vexare, poëtae,
Clementem vestris parcite carminibus;
Parcite jam: nuper cui tristem evadere morbum
Contigit, huic, metuo, carmina vestra iterum
Ne frigusque ferant, languoremque, ut quibus esse
Nil pote frigidius, nil pote languidius.

CXXIV.

In Lycum, se invidiam spernere dicentem.

Sperni a te invidiam dicis, Lyce; dico ego contra,
Te potiùs sperni tantulum ab invidia.

CXXV.

In molestum interpellatorem.

Quaeris, num valeam? Si quid me scribere, versus
Aut audire tuos est opus, heu! graviter
Ægroto, et mortis versor prope limine in ipso:
Si neutrum est horum, Postume, jam valeo.

CXXVI.

In Quintum dicentem, nil sibi placere, nisi perfectum.

Nil sibi non omni perfectum e parte placere,
Quintus ait. Quinto nil placet ergo suum?

CXXVII.

In Quintum ingenium negligentem.

Arma dedit sua cuique Deus: leporem pede jussit,
Dente lupum, taurum cornibus eximiè,
Unguibus et rictu fulvum praestare leonem,
Acri hominem, nil ut non queat, ingenio.
Hoc dum, Quinte, sinis neglectum hebescere, stultus
Praesidium heu! vitae projicis omne tuae.

CXXVIII.

In improbum honorum petitorem.

Attolli ad magnos se postulat Aulus honores:
Credo, ut, quae caecis abdita erat tenebris,
Incipiat claro manifesta in lumine cerni,
Omnibus et vulgo nota sit improbitas.

CXXIX.

In ineptum carminum judicem.

Posse capi negat illecebra se carminis Aulus.
Quid mirum? haud sentit carminis illecebram.

CXXX.

In insulsum Francisci Mariae Zanotti obtrectatorem.

Quem cuncti laudant, spernis carpisque Zanottum,
Non tu illi, at famae noxius ipse tuae.
Quidquid enim effutis, (crede hoc mihi) tu nihil illi
Detrahis, at multum detrahis ipse tibi.

CXXXI.

Ad Marcum de Æliae partu inexpectato.

Spondebat decimo, quarto edidit Ælia prolem
Mense tibi, postquam ducta marita domum est.
Esse tuum, clamas, quod natum est, Marce; sed hercle
Id quorsum clamas, non equidem video:
Non etenim uxorem purgas; tu te ipse fateris
At probri tantùm causa fuisse tui.

CXXXII.

In Tullum se omnibus praeponentem.

Vincere vis omnes, nusquam non primus haberi,
Doctior esse aliis, pulcrior esse aliis,
Esse aliis quavis multò laudatior in re.
Verùm ut contingant caetera, Tulle, tibi,
Hoc non continget certè, dum vincere, primus
Dum vis esse, ullo sis ut amabilior.

CXXXIII.

Ad Gelliam nimis fastidiosè de hominibus judicantem.

Hic tibi verbosus, verborum hic pauper, ut infans,
Hic macer, hic pinguis dicitur esse nimis;
Nemo non animi, nemo non turpis abundat
Corporis, aut parti deficit ex aliqua;
Hinc odio est quivis; jam vir, jam femina prorsum,
Judice te, ferri, Gellia, nulla potest.
Ipsam te, miror, quòd fers, cui demere certè
Multa bonus judex, addere multa velit.

CXXXIV.

Ad Gallum de Eugenide mortua in ipso flore aetatis.

Parce insperato praereptam dicere letho,
Parce malum fatis crimen et objicere.
Quae tecum vixit lustro pulcra Eugenis uno,
Mirè vivacem, Galle, fuisse reor;
Credideram tot laeva etenim tua dicta ferentem,
Factaque, vix unum vivere posse diem.

CXXXV.

Ad Gelliam faciem pileolo celantem.

Quàm decet iste tuus te cultus, Gellia! celat
Pulcher ubi mediam pileolus faciem;
Fac, totam prorsus celet; magis hercle decebit,
Et magis aetatis tristia damna teget.

CXXXVI.

In Criticum imperitum.

Glaucia, qui damnat mea carmina, dicere causam
Nec potis est ullam, cur malè displiceant,
Hoc mihi concedet, credo, mea carmina ut ipse
Laudem, nec cogar dicere, cur placeant.

CXXXVII.

In Sabidium verbis tantùm se gratum profitentem.

Saepe mihi debere uni te cuncta fateris,
Idque facis vero, ceu reor, ex animo,

Quod gratum est, Sabidi: mihi sed qui cuncta fateris
Me debere tibi, fac, aliquid fatear.

CXXXVIII.

Ad Phyllidem, magis de corpore, quàm de anima sollicitam.

Corpus, Phylli, ornas: Quid mentem? servus ubi (auro
Fulget, cur pannis obsita squalet hera?

CXXXIX.

De Cinna lapso ex equo.

Cur sit lapsus equo, causatur plurima Cinna
Verborum longo non sine circuitu;
Sed frustra causis causas contexit inanes:
Ullam non faciunt plurima verba fidem.
Simplex causa placet cunctis, quam praeterit unam;
Indoctus rexit quòd malè sessor equum.

CXL.

Ad Postumum, adolescentem otio indulgentem.

Noctes, atque dies cursas, quò vana voluptas
Te vocat, ac ludo tempus inane teris;
Sic menses abeunt, sic anni, Postume; ineptus
Sic tibi, sic patriae fis magis atque magis;
Sic, de te fuerat quae spes, fugit omnis in auras
Irrita; magnum illud sic perit ingenium.
Teque aliquis digito monstrans ait: improbus ille
Esse aliquid poterat; maluit esse nihil.

CXLI.

De Varo
ingenium suum jactante.

Ingenio praestare putat se Varus, acutis
Ergo suis dictis venditat ingenium:
Omnia vult scitè, salsè vult omnia, quidquam
Dicere vulgari more modoque fugit:
Nec, reor, ingenio prorsum caret, omnia nec quae
Dicit, stulta reor, nec reor illepida;
Ingenio sed si praestaret, nosset, ineptus
Quàm sit, qui cupidè venditat ingenium.

CXLII.

Ad Cinnam
fatuum, et clamosum.
De Vario.

Æs aurum sprevit prae se, quòd nempe cieret
Aures percussum deteriore sono.
Huic aurum: tam vana istaec ne quaere; sonore
Haud pulcrum est quemquam vincere, sed pretio.
Hoc tibi habe dictum, vocalis Cinna; pusilla
Voce catum fari despice nec Varium.

CXLIII.

In Herophilum
puellas nimis laudantem.

Non ornas, oneras multa sed laude puellas,
Ergo suas laudes jam sibi permetuunt;

Inter se iratae si quando et dira precantur,
Dì faciant, te, ajunt, laudet ut Herophilus.

CXLIV.

In Quintum carmina auctoris spernentem.

Quòd mea nil sapiunt tibi carmina, Quinte, dolerem,
Nescirem si te, Quinte, nihil sapere.

CXLV.

In Quemdam, filio literas discente.

Grammaticae ut studio captum vidit pater Aulum,
Nec tantùm "Musam" discere, vel "Dominum,"
Verùm et "Amo," atque "Lego, Doceoque," et caetera
Multa reluctantem continuò puerum (verba,
Abstraxit ludo, metuens, quid? credo, parente
Ne fieret, cunctis doctior et proavis.

CXLVI.

In Quintum.

Obtutuque haeres uno, magnumque videris
Nescio quid toto volvere, Quinte, animo,
Et versare hominum generi quod prosit, et ipsam
Avertat carae perniciem patriae.
Hoc vultu facilem ducis, fallisque popellum,
Tertius et multis crederis esse Cato.
Sed qui te norunt, nil, curas praeter inanes,
Vecordem fatua mente agitare ferunt.
Sic miri vultus in marmore; praeter inertem
Miro at sub vultu nil tamen est lapidem.

CXLVII.

In Lupum, Scipionis Maphei obtrectatorem.

Aurea Maphei quae captus miror amoque,
Spernis quòd tanto scripta supercilio, (hoc:
Quid culpa dignum, tibi quid malè comprecer? Unum
Mapheo scriptor sis, Lupe, dissimilis.

CXLVIII.

De vera, et falsa Nobilitate.

Nobilitas quiddam est pulcrum, et memorabile, seram
Clarat ubi patrum gloria progeniem;
Nobilitas at, quae nil possit, praeter iniquas,
Duxerit unde ortum, dicere divitias,
Proh Superi! quid habet magni? quid continet usquam
Praecipuo ut se se poscat honore coli?
Cur tumet, a proavis cui res est magna relicta,
Fraude vel, aut saevis parta latrociniis?
Nempe auri fulgor perstringit lumina, nec quà
Quisque habeat, quantum quaerimus ast habeat.
Hinc stulti sobolem Thersita patre creatam
Inter magnanimos ponimus Æacidas.

CXLIX.

Pares cum paribus congregari.

Nullum nosse virum dicis te, Galla, pudicum.
Credo; pudicus enim te sibi quisque timet;
Audax vel prope te si venerit, esse pudicus
Nequitia victus desinit ille tua.

Pollam at, Galla, roga: dicet fortasse, pudore
Qui careat, nullum nosse pudica virum.
Crede mihi; ut mulier quaeque est, sic illa sodales
Vel trahit ad se se, vel facit adsimiles.

CL.

Non decere pudicam
cum parum pudicis versari.

Tu nupta es: virgo est, quae tecum vivit, Elysa;
Verba sed ambarum quum tamen accipio,
Virgo intacta soles tu pol! mihi, Tulla, videri,
Illa tribus deinceps femina nupta viris.
Tam tibi dissimilem noli jam ferre: pudicam
Usque adeo comitum turba pudica decet.

CLI.

Mulierem pudoris expertem
venia carere.

Casta, velim, fias; id non potes? Ælia, saltem
Effraenis, procax ne videare, cave.
Parce viros oculis venari, parce virorum
Quemlibet injecta velle tenere manu;
Parce, magis viridi quò floret quisque juventa,
Hunc lateri comitem jungere velle tuo;
Huic ridere uni, longo hunc sermone morari,
Huic facere, huic omnes dicere delicias.
Quam pudet, ignosci possunt huic multa; pudorem
Quae posuit, venia jam caret Improbitas.

CLII.

In Varum
Latinae linguae imperitum.

Obscurum dicit me Varus, Tuscula rura
Dicturus, dixi quòd " juga Telegoni; "
Dicturus Tibur, " Catilli maenia " dixi.
Obscurum at pueri, turba pusilla, negant,
Atque docent, Flacci recitato carmine, quae sint
Maenia Catilli, quae juga Telegoni.

CLII.

In Philippum
ridentem phrasim Latinam,
tamquam non perfectè Latinam.

Gliscere (1) quòd plausus dixi, ridere, Philippe,
Incipis: O risu digna, Philippe, tuo!
Pol si ridebis, quae nescis, omnia, nusquam
Non risus fatuo gliscet in ore tibi.

---

(1) Pacuv. apud Nonium = Crescit, et gliscit gaudium.
Virgil. = Gliscit violentia Turno.
Tacitus passim = Gliscit certamen, periculum, adulatio.

LIBER SEXTUS.

EPIGRAMMATA LUDICRA.

I.

De Onuphrio Alfano Pium VI *Pont. Max. alienis versibus celebrante.*

Alfanus magnum dum caelo attollere Sextum
Optat, carminibus nec valet ipse suis,
Asdentî carmen sublegit, nec tamen ullo
Se adstrinxit furto, quod miser arguitur;
Invito nec enim domino id fecisse videtur:
Ipsis qui, credo, gaudet in Elysiis,
Sextum, quem vivus mirari nempe solebat,
Ornari extincti quàlibet ingenio.

II.

In Quintum dicentem, se carmen, quod legerat, parvo tempore scripsisse.

Quinte, tuum, dulces inter dum ludis amicos,
Effusum parvo tempore carmen ais.

Id quid opus dici? nihil ut tu dixeris, ipsum,
Se parvo effusum tempore, carmen ait.

III.

Ad Bernardum Zamagnam de poëta inepto.

Carpe fugam, teque abde aliquò, Bernarde; pro- (pinquat
Ille malus vates, carminis illepidi
Conditor ille; et habet versus, tria millia, secum,
Vel plures: nobis omnia quae recitet,
Ac malè nos plectat, crudelis hirudo, cruoris
Nullam non sorbens addita particulam.
Tu tibi carpe fugam, solus manco ipse; molesto
Defungi praestat munere, ne me iterum (tum
Atque iterum usque domi quaerat, tandemque reper-
Anno post nugis enecet illepidis; (meas ut
Namque mihi hoc fatum est, quod scripsit cumque
Seriùs, aut citiùs vulneret auriculas.

IV.

Ad Quintum, cur sua carmina non edat poëta.

Quinte, rogas, mea cur non edam carmina? dicam.
Edendis quia non sufficit ingenium; (mena
Verùm opus est aliud quiddam, tua, Quinte, cru-
Quo gravis est semper, quo mea saepe vacat.

V.

In idem argumentum.

Quae scripsi, rogitas, cur non edam? edere solus
Non possum, solus scribere quae potui.

Nempe liber (dictum tolle hoc tibi, dives Amice,)
Editur argento, scribitur ingenio.

VI.

Ad Aulum de ejus famulo vate.

Qui vatem retines famulum, famaeque, reique,
Crede mihi, egregiè consulis, Aule, tuae:
Famae, quòd meritas dicet tibi carmine laudes;
Parva petet de te quòd sibi lucra, rei.
Scis etenim, vates alienae quàm nihil obsit,
Tam facilè qui rem prodigit ipse suam.

VII.

In Lycum malum poëtam.

Quî tua mutari, Lyce, possint carmina; quaeris?
Istaec si laceres, scripseris inde alia.

VIII.

De Rullo efferente genus suum.

Longobardorum se natum Regibus esse,
Rullus ait: credo: vox, oculi, facies,
Quidquid agit, quidquid loquitur, bene convenit hirto
Longobardorum scilicet ingenio.

IX.

In Dutenum inutilium sectatorem.

Cultellos, et acus, terebras, et scalpra, Dutene.
Fers tecum, normas, forficulas, calamos.

Digitized by Google

Anglus Daedaleo duxit, tersitque lepore
Cuncta faber; fieri nil pote simpliciùs.
Ipse tamen (fas est si dicere vera) carere
Tot rerum nugis mi puto simplicius.

X.

De Glaucia, et Flacco.

Glaucia multa typis edit, nil Flaccus: opinor,
Quod Flaccus nummis, Glaucia mente caret.

XI.

Ad Quintum aliena carmina recitantem.

Saepe rogas, placeant mihi num tua carmina? dicam:
Carmina, quae recitas, pol mihi, Quinte, placent.
Sed qui te novi (sit fas hoc dicere soli)
Carmina, quae recitas, non reor esse tua.

XII.

In Varum nimium in scribendis epistolis.

Adventu mihi, Vare, tuo nil longius unquam
Visum est: nulla abs te littera jam veniet.
Praesentem fortasse aliqua vitabimus arte,
Absentem prorsus non licet effugere.

XIII.

In Postumum exprobrantem beneficia.

Si quidquam cuiquam fecit bene Postumus unquam,
Exprobrat, et quidquid promeruit, decies

Atque iterum decies narrat; nec, plurima contra
Si facias, credit, te retulisse vicem.
Haec causa est, cur mi potiùs contingere febrim
Quartanam, illius quàm benefacta velim.

XIV.

De Æliae repentinis divitiis.

Parcè vivebas, ac duriter, Ælia, lana,
Ac tela victus quaerere sueta tibi;
Nunc et iners cessas, nec sumptu parcis: opinor,
Thesaurum nacta es; nec, populus blaterat
Quod passim, credo: moneo tantùm, Ælia; famam
Saepe solent subitae laedere divitiae.

XV.

In Rullum de jejuniis.

Rullus conquirit peregrinos undique pisces
Et quaecunque mari squalida concha latet;
Et sibi boletos, sibi vult fragrantia poni
Advecta externis tubera litoribus;
Vina dein poscit Marcotica, Chia, Falerna,
Atque alia, atque alia de meliore nota.
Ebrius, atque satur laudat jejunia, seque
Jactat, quod vetitis abstinet altilibus.

XVI.

Ad Postumum coenam sibi datam narrantem.

Iste tuus quam Rex dederit tibi, Postume coenam
Narras, ingratam texis et historiam.

Parce istis Lydae in coetu; nidore culinae
Hìc nemo aut vino ducimur, aut epulis.
Mentem aliquid nobis quod pascat, dicere praestat
Explerit ventrem quid tibi, scire piget.

XIX.

Ad Philippum,
de Polla frustra laudata.

Et faciem, et claros Pollae, duo sidera, ocellos
Laudasti multis non sine deliciis.
Laude tua sed quàm tua non sit facta, Philippe,
Res docuit certo protinus indicio;
Quippe domum reducem velles quum tollere curru,
Te comitem ut fugeret, maluit ire pedes.

XVIII.

Ad Quemdam
laudantem suam ipsius imaginem vero absimilem.

Jure istam laudas, tibi quam natura negavit,
Formam, quam pictor largiter attribuit,
Et tibi, sulcabant quae frontem, demere rugas,
Et florem aetatis reddere qui potuit.
Magnum est artifici verum exaequare: quid arte
Verum tam longè vincere mirifica?

XVII.

De Lyco sene curioso.

Per fora, perque vias fessus, fractusque senecta
It Lycus, et quaerit, quid sit in urbe novi.

Hoc reor esse novum; fessum, fractumque senecta
Quaerere tam cupidè, quid sit in urbe novi.

XX.

Ad Cinnam inaniter gloriantem.

Mirificam dicis te palmam, Cinna, tulisse,
Lignea dum ludo praelia conserimus,
Quam cur mirificam pergas tam saepe vocare,
Tanto et cum fastu, nil equidem video;
Mirificum ni forte putas, quod vel semel hostem
Vicisti, victus tam malè jam decies.

XXI.

Ad Aulum omnia inaniter pollicentem.

Verborum largus, mihi re nil conficis, Aule;
At re, non verbis est opus, Aule, mihi.
Re mihi opus, clamo: rem parvam, perque pusillam
Multis verborum millibus antefero.
Haec summa est; fugiunt, quae dicis, vana per auras;
Quod possim solidum prendere, fac aliquid.

XXII.

Ad senem adolescentulae amicitiam expetentem.

Formosa est Ægle, vernatque in flore juventae;
In foedo torpes horridus heu! senio.
Quòd placet illa tibi, non miror; miror at, Aule,
Quòd te contra illi posse placere putas:
Miror, ubi pugnant duo tam contraria, stultè
Posse quòd hìc jungi credis amicitiam.

XXIII.

De Cinna se doctorum amicitiis efferente.

Jactat amicitias doctorum Cinna virorum;
Laudo, si fieri doctus et ipse potest.
Sin minùs, abnormis, doctrina cassus et omni,
Haud video, quorsum has jactet amicitias.
Se ne putat magnum, quod magnos vixerit inter,
Parvus monstroso corpore Pumilio?

XXIV.

Ad Postumum supra modum laudari volentem.

Carmina laudavi tua, Postume, largiùs aequo,
Et mihi laudator jam prope displicui;
Nec tamen explevi, quo pruris, laudis amorem,
Atque malam videor parcus ob invidiam?
Quid, de te dicam, vis tandem, Postume? sat ne
Esse putas, si te Maeonidae anteferam?
Si dicam Phoebumque patrem, doctasque Camoenas
Esse tuis victas, Postume, carminibus?
Atque tibi toto Pindi decedere regno,
Unus ut Aonio sis decus in nemore?

XXV.

In Hermogenem Medicum.

Quid tibi condoluit, narras; medicina levavit
Quo tua te, narras omnibus, auxilio.
Quaere alios, quaeso, testes; tibi credere soli
De te narranti nolumus, Hermogene.

Isto etenim pacto nemo non dicere possit,
Se sibi vel raptum restituisse caput.

XXVI.

In Cinnam scabiosum, dexteram porrigentem.

Abradis qua pus, dextram ne porrige amico;
Serva hosti, si quem perdere, Cinna, voles.
Dulcis amicitiae fructum proponis acerbum,
Communem tecum si mihi vis scabiem.

XXVII.

Ad Gelliam immani pinguedine sibi placentem.

Multo quae pingui distenta es, Gellia, sic ut
Nulli non vasto corpore displiceas,
Una places tamen ipsa tibi, succique videris
Plena Ceres, thalamum scandere digna Jovis.
Gaude Romuleas inter pinguissima nuptas,
Quò mage foeda aliis, hòc mage pulcra tibi.

XXVIII.

Ad Quintum a nuptiis abhorrentem.

Uxorem hoc foedo quòd non vis ducere saeclo,
Laudo; malum est, dici, Quinte, nec esse patrem.
Esse suam quis enim prolem sibi norit, amantum
Quam genuit denso femina septa choro,
Femina quae nullo, quà vult, custode vagatur,
Ipsa sui custos una relicta sibi?
Scilicet in mediis longùm ut versata periclis
Evadat sanctae forma pudicitiae!

XXIX.

Ad Quintum ducentem anum divitem.

Qui vocat ad thalamos te vafrum, Quinte, Cupido,
Non Veneris, Pluti fertur at esse puer.
Non quatit ille faces, multo fulgore coruscos
Praeportat dextra blandus at aureolos.
Ergo ducis anum juvenis; nec displicet aetas;
Quin, reor, in diti conjuge sola placet.

XXX.

In Lupum de ejus nuptiis.

Et ditem, et vetulam ducis, Lupe, laetus utroque;
Quòd tibi praeda ingens, quòd citò praeda venit.

XXXI.

Ad Gelliam anum juveni nubentem.

Ducit anum juvenis te, Gellia, dignus amari:
Illo tu, censu captus at ille tuo est.
Hymen ades, Hymenaee; probo connubia: punctum,
Utile qui dulci miscuit, omne tulit.

XXXII.

In Gelliam pulcram, sed stupidam.

Marmoream dico Venerem te, Gellia: pulcra es,
Pulcra, lapis pulcro quo solet esse modo:
Excors, elinguis, mentem nil mi afficis ipsam,
Spectaclum solis frigida stas oculis.

XXXIII.

De Antigene Pollae assidente.

Anterior sedit, dein dexter, deinde sinister,
  Usque foret Pollae ut proximus, Antigenes.
Illa importuno tandem est irata, sedenti
  Ad latus et, verso corpore, terga dedit.
Sic, quod restabat solùm post cetera, sedit
  Antigenes Pollae denique posterior.

XXXIV.

Ad Augustinum Tanam
de victoria in latrunculorum ludo relata.

Me victo, mirè gaudes, ipsique videris,
  Tana, tibi lusor magnus et eximius;
Rem gestam et narras, justo et prope digna triumpho,
  Me semel everso, praelia facta putas.
Pulcrum est sic vinci, victor miretur ut hostis,
  Vix se victorem credat et ipse sibi.

XXXV.

Ad Quintum
de Herophila, ut vocabat, sua.

Nullius est, quam, Quinte, tuam tu dicis: amatur
  Innumeris, ullum non amat Herophile;
Innumeros inter nam, qui certatis, amantes,
  Nil non insulsum salsa puella videt.
Despuit ergo omnes; te primum; nec sine risu
  Audit, cum toties dicitur esse tua.

Perge tuam sed tu quantumvis dicere; Quintum,
Non erit, Herophile dicat ut esse suum.

XXXVI.

Ad Aulum Pollae dicta parum animadvertentem.

Aule, parum sentis, loquitur quae Polla, loquentem
Quòd Pollam sentis, ceu reor, Aule nimis.
Illa tuos sensus prorsum sibi vindicat uni,
Et dicens dictis officit ipsa suis.
Forma, lepos, blandi vultus, et quidquid amatur,
Mentem opplent, tenues dictum abit in Zephyros.

XXXVII.

Ad Flaccum de Aulo Phyllidem invisente.

Sola domi ne sit Phyllis, huc ventitat Aulus,
Auli si dicto credere, Flacce, juvat.
Sin mage rem veram, quàm dictum quaeris inane,
Huc, ne sit solus, ventitat assiduè.
Illi nam, procul est cum Phyllis pulcra, videtur
Esse sibi solus millibus in mediis.

XXXVIII.

Ad Antigenem de multiplici doctrina.

Philosophus, Rhetor, Vates, terraeque, polique
Mensor, cuncta simul scilicet esse cupis.
Esto unum, si verè aliquid vis esse: videri
Multa potes, fieri non potes, Antigene.
Conflatam tribus e formis, scis nempe, Chimaeram
In solis vatum vivere carminibus.

XXXIX.

Ad Graecinum artium peritum sermone tenus.

Artificum te more loqui, Graecine, fatemur.
More aliquid malim te facere artificum;
Parvum aliquid, quidvis. Pronum est utcumque crepare,
Docti quae faciunt, omnia, nec facere.
Stratus humi ut si quis, coeno et demersus in alto,
Narret de nisu plurima Daedaleo.

XL.

Ad Quintum,
de ejus carmine a Gellia contempto.

Quod scripsti carmen, spernit malè Gellia, Quinte,
Prorsus et insulsum dictitat, ac fatuum.
Vis, multa incipiat jam caelo attollere laude,
Atque ipso dignum dicere Maeonida?
Cujus amat faciem, Musam et se credit amare,
Dic pulcro id scriptum carmen ab Antigene.

XLI.

Ad Varum hominem foedissimum a gravi
morbo convalescentem.

Pulcra vorat, foedis Mors abstinet. Haud ego miror
Te, Vare, a morbo convaluisse gravi.
Ista sibi facies speret vel Nestoris annos,
Vel multa incanae saecula Deiphobes.
Si quisque est vivax, quàm foedus, non erit hercle,
Quisquam aequet vitae ut tempora longa tuae.

XLII.

Ad Aulum,
convivio, quod nunquam praebeat, leges scribentem.

Scribis convivis leges, conviva nec ullus,
Aule, tibi est unquam, nec, reor, ullus erit.
Sic olim leges, non ulla aetate futuris,
Divinus scripsit civibus ille Plato.

XLIII.

Ad Gelliam pulcram, sed insulsam.

Marmoream dico Venerem te, Gellia: pulcra es,
Pulcra, sed insulso pectore frigidula.

XLIV.

De Polla et Varo,
illa virili, hoc muliebri forma praedito.

Polla vir est, faciem si spectes; femina Varus;
Hic Venus, Alcides dicitur illa mihi.
Pulcri ambo, faciem si possent vertere; Varus
Si Pollae, Varo Polla foret similis.
Nunc quando id fieri nequit, ambo turpibus aequè
Censendi in monstris; haec Vir, et hic Mulier.

XLV.

Ad Pantagatum lusorem imperitum.

Longo abeas mirè victus cur denique ludo,
Saepe soles causas dicere, Pantagate;

Digitized by Google

Quas quoties numeras tam multas ore diserto,
  Verè aliquid dici non ego diffiteor.
Una sed est etiam causa hercle, haud digna taceri;
  Ludum quod nescis ludere, Pantagate.

XLVI.

Ad Varum
ducta uxore moerentem,
Lusus.

Ante alias odio est uxor sua cuique, quòd uxor
  Cuique sua est omnes notior ante alias.
Sic natura mali est; potis est ignota placere;
  Nota eadem fuerit quò mage, respuitur.
Haec, tantum visae dum captus amore puellae
  Flagrabas cupido, Vare, tibi occinui.
Risisti; deducta domum tua Gellia nunc te,
  Quae tunc risisti, vera fuisse docet.

XLVII.

Ad Hortalum

Stultus eras juvenis; senior sapis, Hortale; miror:
  Fructum, quae florem non tulit, arbor habet.

XLVIII.

Ad Gallam.

Femineo in cultu Venerem, in cultuque virili
  Te vates puerum, Galla, vocat Veneris,
Quae pol tam facie Venerem, quàm corporis ista
  Immani Veneris mole refers puerum.

XLIX.

Ad Antigenem de ejus carmine.

Antigenes me flave tuo de carmine cogis
Nempe meum quod sit dicere judicium.
Dicam equidem: Es visus caelum ferri super altum,
Et miser insanis ausibus excidere:
Ut curru excussus Phaëton, pennisque solutis
Icarus, ille Pado est obrutus, hic pelago.
Tres eritis posthac testes, quàm stulta juventa est:
Icarus, et Phaëton, flavus et Antigenes.

L.

Ad Pollam de Thyrside.

Plurima de flavo narras mihi Thyrside, Polla,
Meque doces, quanto polleat ingenio,
Quàm salsus, quàm sit lepidus, quàm suavis in aures
Flexanimo et mentes influat eloquio.
Haec me saepe doces, inculcas haec mihi saepe,
Quorum nil soleo credere, Polla, tibi.
Nil, toties doctus, didici tamen, hoc nisi solum,
Uri te flavo in Thyrside non modicè.

LI.

Ad Quintum in aurem loquentem.

Quinte, soles Pollae secretam dicere in aurem
Plurima, quae turba dicere teste licet.
Optas eximius nam, credo, Quinte, videri
Arcta illi ante omnes junctus amicitia.

Laudo, quòd clara respondet voce puella;
Omnis, Quinte, perit sic tibi gloriola.

LII.

De carmine in laudem auris.

Foedi aliquid monstri, credo, est tua, Marce, puella,
Cujus tu carmen scribis in auriculam.
Foeda oculis, foeda illa genis, et foeda labello est,
Una cui laudem quaeris ab auricula;
Formosum id solùm dicens, lepidumque, ubi nullus
Aut minimus formae possit inesse lepos.

LIII.

Ad Quintum.

Femineae cur, Quinte, manu das oscula? si sunt
Frigida, nil sapiunt; si caluere, nocent.

LIV.

In idem argumentum.

Femineae quòd saepe manu das oscula, dicis,
Uno te duci scilicet officio. (hòc te,
Credo equidem; at video, quò quaeque est pulcrior,
Quinte, isto duci valdius officio.

LV.

Ad Lycotam clamosum in disputando.

Quae statui, vasta propugnas voce, Lycota,
Sic, nihil ut contra dicere mi liceat.

Hiscere nam quidquid cepi, miser opprimor ista
Clamoris subitò vi prope Stentorei;
Qui simul ac demum sicca jam fauce residet,
Quae mihi opus, dicam leniter, ac leviter.
Fors erit, haud paullo qui me potiora loquentem
Audiat arrectis auribus, atque probet.

LVI.

Ad Pollam de Euno.

Miraris tu, Polla, mihi quòd non placet Eunus;
Miror ego contra, quòd placet ille tibi.
Stultè ambo: queis vir non possit, femina possit
Nempe capi, parvas ille habet illecebras.

LVII.

Ad Pholoen de Lycida.

Pallidus est Lycidas; macer est heu! corpore nullo;
Squalidus aridula vix tegit ossa cute:
Crura queam graciles verè dixisse bacillos:
Judicio est, Pholoe, pulcher at ille tuo.
Felix! rivalem haud metues: pulcher tibi soli,
Nunquam erit, ut Lycidas desinat esse tuus.

LVIII.

Ad Quintum sua carmina ostendere nolentem.

Carmina, quae scripsti, gestisque ostendere, multis
Oratus precibus promere, Quinte, negas. (pendes,
Plectam ego te, ut meritus: poenam dabis, et, mihi
Esse nihil gravius quo pote, supplicium.

Quid facies? inquis. Quae nunc tu promere non vis,
Cum promes, aures claudam ego carminibus.

LIX.

De Marcella viro imperante.

Marcellam Crassi vocitant de more; vocare
Crassum Marcellae contra ego sed soleo.
Uxorem nec enim sibi Crassus vindicat, omni
Usque sibi imperio vindicat illa virum.

LX.

Quare Caecilianus se ipse laudet.

Laudes ipse tuas nobis quòd saepe recenses,
Posse quidem ignosci, Caeciliane, puto.
Officium cupido quòd vult praestare virorum
Nemo alius, praestas scilicet ipse sibi.

LXI.

Ad Caeliam.

Deduci a claudo fultam ut te, Caelia, vidi;
Mulciber ille mihi, tu mihi visa Venus.

LXII.

In Gallum, qui Fabullum deformem dixerat.

Deformem dicis, Geometres Galle, Fabullum,
Cui mirus formae ridet in ore lepos.
Ultra ne crepidam, Sutor: scit dicere, quantùm
Sit corpus, nescit, quale, Mathematicus.

Digitized by Google

LXIII.

In Eundem Mathematicum, non nomine, sed natione Gallum.

Gratia quem formae commendat rara, Fabullum
Deformem, ac foedum dicere, Galle, soles.
Credo, Alpes citra quod natus; Gallus at idem
Si foret, aequaret Nirea, vel Paridem.

LXIV.

Ad Quintum.

Armiger abduxit claudo tibi, Quinte, Lycorin:
Mavors Vulcano surripuit Venerem.

LXV.

In Aulum viros ingeniosos vitantem.

Ingenio si quis pollet, vitasque, fugisque,
Aule, virum. Quid? num despicis ingenium?
Ingenium, quo quid melius Natura creavit?
Quid sibi mens possit fingere amabilius?
Nil minùs; at, magnos prope ne videare pusillus,
Id metuis: miror jam nihil, Aule: sapis.

LXVI.

De Gellia, canente vultu ad risum composito.

Risu diducit rictum, cum Gellia cantat:
Interdum id fieri confiteor lepidè;

Sed lepidè interdum quod fit, semper facit illa:
Semper et idcirco nil magis illepidum est.

LXVII.

In Cinnam,
se sibi uni inservire velle dicentem.

Tandem more tuo dicis te vivere velle,
Quidquid agas, uni commodus ipse tibi.
Cinna, vale; fugio: nam, qui sibi commodus uni
Esse parat, nulli non parat esse gravis.

LXVIII.

De Varrone et Aulo,
altero docto, indocto altero.

Doctior ante omnes Varro tacet; omnis at expers
Doctrinae haud unquam desinis, Aule, loqui.
Quàm bene res habeat, si, versis partibus, ultro
Tuque tacere velis, et velit ille loqui!

LXIX.

De Lycabante sternuente.

Credideram ad terram subito ruere omnia casu.
Respexi: horrendùm sternuerat Lycabas.

LXX.

Quare Gellia Cinnamum spernat.

Gellia formosum te spernit, Cinname. Quid ni
Spernat, nummorum cui sciat esse nihil?

Tu faciem interea curas; rem, Cinname, cura:
Odit vel puleram Gellia pauperiem,
Et stultam vocat eximiè, quae femina nuptum
It, cum formoso conjuge ut esuriat.

LXXI.

De coena a Mancia parata.

Si placet, esurias mecum, inquit Mancia; dici
Ut solet, hocce joco dictum ego credideram.
Mox verè dictum sensi: tam pauca paravit,
Illa ut non fuerit coena, sed esuries.

LXXII.

In Rufinum domi,
non foris stomacho parcentem.

Parcere te stomacho dicis, Rufine; crumenae
Te potiùs dico parcere at ipse tuae;
Nam quoties coenare foris tibi contigit usquam,
Pol! nunquam vidi parcere te stomacho.

LXXIII.

Ad Gelliam, ne unum, sed omnes, cara omnibus, alloquatur.

Cunctis cara, uni cur te das Gellia, et omni
Unum de coetu perpetuò alloqueris?
Circum alii mussant taciti, spernique dolent se,
Ullo tam multos esse nec in numero,
Nullo hercle in numero, cum solo sola videris
Quòd tibi, longè alios esse, nec esse putas,

Iste, quidem fateor, nulli non dignus amari est,
Nullum non praestat dotibus eximiis;
Desine sed dulces, tu desine, ludere Amicos;
Cunctis cara, omnes, jam precor, alloquere.

LXXIV.

In idem argumentum.

Gaude, laeta cohors; en comis Gellia nullum
Negligit; aequè omnes curat et alloquitur.
Paullisper nunc gaude; aderit jam Celsus; in auras
At tenues venti gaudia nostra ferent:
Unus erit, solum quem curet, cuique loquatur;
Nos erimus nullo, quot sumus, in numero.

LXXV.

Quare Marsia Gallo mille nummos donaverit.

Mutua poscebas quem tu duo millia nummûm,
Mille tibi dono Marsia, Galle, dedit.
Laudo equidem, sed enim nil miror; maluit ille,
Quàm totum, partem perdere dimidiam.

LXXVI.

De munere sibi misso.

Æolus, ut perhibent, mirandum munus, Ulyssi
Utrem ventorum praebuit Hippotades:
Et meus hic multò ventosior Æolus hanc mi
Inflato parvam corpore misit avem.
Aligeros habeas tibi ventos, flabraque, Amice;
Auris non vescor, quae stomachum excrucient.

LXXVII.

De Glaucia turpia loquente.

Turpia dum loquitur te coram Glaucia, vel te,
Galla, bonam spernit, vel putat esse malam.

LXXVIII.

In bonum oratorem, eundemque malum poëtam.

Abde citus, citus abde aliquò tua carmina, Tucca,
Cunctaque da flammis, dum licet, aut Tiberi;
Diceris orator ne qui bonus hercle, poëta
Jam dici multò pessimus incipias.

LXXIX.

Inutilem esse Quinto curatorem.

Additus est Quinto curator. Quintus egere
Curatore negat se, queriturque datum.
Et meritò: accisa re, curatoris egebat;
Hausta, curator, jam nihil est, quod agat.

LXXX.

Amicos inter se mutuo bene facere debere.

Fert claudum caecus, caecum regit ille: sodales
Mutua sic faciunt commoda perpetuos.
Ingenio tu, Quinte, meo saepe uteris; uti,
Nunquam vis, manibus me pedibusque tuis,
Vel curru, vel equo. Valeas, mi Quinte; sodalem
Quaere alium, aut leges disce sodalitii.

LXXXI.

(Rem narrat Plutarchus)

Demonidi claudo, pedibusque immanè tumenti
Fur malus exutas sustulerat crepidas.
Ille videns fugientem exclamat: Juppiter istae
Faxit ut usque tibi conveniant crepidae!

LXXXII.

Qui novus est, Tulla hunc unum miratur amatque.

Felix postremus qui venit; submovet omnes,
Inque domo Tullae regna superba tenet.
Qui novus est, hunc illa unum miratur, amatque;
Vilescit quisquis desiit esse novus.
Tulla, vale; procul hinc fugio: fortasse revertar,
Ut fieri possim rursus et ipse novus.

LXXXIII.

Ad Antigenem eadem volentem, et nolentem.

Tam grave Romulea quòquam est si cedere ab urbe,
Cur cedis? nusquam pelleris, Antigene.
Tam grave si non est, si vis hinc cedere tute
Sponte tua, moesti quid faciunt gemitus,
Quid miseri questus, nec jam ista aetate decorae
Perque genas fusae, perque sinum lacrymae?
Vis, non vis; eadem sequeris, fugis; et tibi pugnas,
Quidnam animo sedeat nescius ipse tuo.
Quid dicam? vel abi, versa vel mente maneto;
Quidquid ages, erit, ut jam malè displiceat.

LXXXIV.

Hortatur amicum, ut Lycoridem deserat.

Surpsti colla jugo tandem, nec publica te res
Mole sua, nec te munia magna premunt:
Jam tuus es, dixi. Risit formosa Lycoris,
Et dixit: totus nunc erit ille meus.
Dii melius! pulcro subtraxti victor, amice,
Victor et indecori subtrahe colla jugo.

LXXXV.

Ad Ponticum, qui puer vocabatur.

Terdenas, ratio ni fallit, Pontice, messes
Jam numeras, bonus et diceris esse puer.
Id tibi habe laudis; messes mihi displicet ante
Bisdenas qui non desiit esse puer.

LXXXVI.

Ad Accam de Ornito.

Acca, sapit, quòd te petit Ornitus: haud minùs et tu,
Illum quòd spernis, quòd fugis, Acca, sapis.
Æqua laude utinam semper celebretur uterque,
Inque diem sapiens sit magis atque magis!

LXXXVII.

Poëta de se semper valente.

Quaeris, cur valeam semper? Quia pectore nunquam
Sollicito quaero, Postume, num valeam?

LXXXVIII.

Gelliam monet, ut sine verborum circuitu dicat, se Thyrsidem amare.

Dicis; amabilius nil flavo est Thyrside. Praestat,
Gellia, " amo Thyrsim ", dicere simpliciter.

LXXXIX.

Ad Postumum olim optima, nunc deteriora carmina scribentem.

Carmina scripsisti puer optima; carmina scribis
Annosus multò deteriora senex.
Castalides, credo, florenti aetate puellae
Oderunt foedam, Postume, canitiem.

XC.

Ad Dominicum Zindum Palum colentem.

Palum, Zinde, colis; praedo errat litora circum.
Nec tremis heu! longè nec, malecaute, fugis?
Nominis horrendum est omen; fuge, Zinde; manenti
(Scis morem gentis, scis grave supplicium,
In Lybicis quo nil spectatur crebrius oris)
In palum ne res desinat, heu! metuo.

XCI.

Ad Aulum ducentem uxorem bis viduam.

Bis viduata viro conjux tibi ducitur, Aule:
Nec metuis fatum, quod subiere duo?

Ah! cave sis cladem: bis victrix, tertia de te
Orco, si nescis, illa trophaea parat.

XCII.

In Barbulam
ob levem morbum lecto degentem.

Decubuit lecto, velut aeger, Barbula. quemnam
Ob morbum? ob tussim scilicet exiguam.
Quid, si fortè virum quatiat seu frigore febris,
Sive igni miserum torreat indomito?
Continuò indicet, credo, sibi funera; nec se
In lecto, poni sed volet in feretro.

XCIII.

De tribus Amatoribus inter se contendentibus

Nil Daphnis Lysa, Galla nil Thyrsis, Alexis
Nil usquam Nisa est, dicit, amabilius.
Quisque, mea est multò, dicit, formosior omnes
Ante alias, omnes dulcior ante alias.
Quid frustra gliscunt certamina? vera fatebor
Dicere quemque, addat si modò quisque "mihi".
Id magnam verbum componet denique litem;
Tres vincent Veneres, quaeque suo Paridi.

XCIV.

Ad Gelliam dicentem,
se nullo unquam amore captam fuisse.

Gellia, nullo unquam te captam dicis amore?
Hanc, nolim, laudem vir tuus audierit.

XCV.

In juvenem anum ducentem.

Ducis anum juvenis? fatuo quid comprecer? istud
Sit tibi perpetuum, Cinname, conjugium.

XCVI.

Ad Corvinum, furem simulantem.

Tam bellè furem simulas, Corvine, sodales
Inter, et huic thecam surripis, huic loculos,
Tam foeda ut possis contritus in arte videri,
Nec lusor, sed fur scilicet esse merus.
Crede mihi, tanto famae ne lude periclo;
Tandem et, qui non es, ne videare, cave.

XCVII.

Cur Caelius non redametur.

Immodicus placito quòd Caelius instat amori,
Pro meritis nullo fert in amore vicem.

XCVIII.

In Battum se Maecenatem dicentem.

Diceris esse meus Maecenas, Batte. negare
Ipse quidem id soleo, nec, reor, immeritò;
Scis Maecenatem nam, credo, Batte, fuisse
Dulce decus vati praesidiumque suo.
Te decori esse mihi fateor; sed, res ubi poscit,
In te nil quidquam praesidii invenio.

De geminis pars haec cui desit, vix liect hercle
Hunc Maecenatem dicere dimidium.

XCIX.

De Mnesarci tarda voce.

Alatas dixit voces divinus Homerus;
Vox etenim lapsu praepete missa volat.
Quid tua vox, Mnesarce? alis non praedita certè est,
Sed testudineis tarda meat pedibus.

C.

Ad Mantinium de ejus praediis; et de se, suisque libris Auctor.

Te tua delectant, Mantini, praedia; libris
Lactor ego. His animum pascere quum licuit,
Divitiis Croesum supero, in parvoque cubili
Esse mihi villas, praedia, regna puto.
Aut igitur libros me poscere desine, poscam
Aut ego te contra rura, domosque tuas.

CI.

Ad Mnesarcum paupertatem querentem.

Pauperiem cur mi narras, Mnesarce? dolori,
Possum equidem, atque tuis questubus adgemere;
Possum et flere; dolor sed quid meus, aut tibi prosunt
Vel gemitus, vel fusae ex oculis lacrymae?
Num minùs in vacua ludet levis aura crumena?
Num tibi curta minùs, tritaque vestis erit?

Quin tu alium quaeris, qui non fleat ipse, tuas at
Auro detergat divite lacrymulas?

CII.

Ad Quemdam morbos suorum continuò narrantem.

Saepe mihi narras, quid tu, quid filia, et infans
Filius, et conjux quid tua condoluit;
Quorum nil quaero quidquam, nec scire laboro.
Hoc scio, dum narras talia, dumque iterum
Atque iterum inculcas, ego nil quae scire laboro,
Jam caput, atque aures condoluisse mihi.

CIII.

De Glaucia se fuscum (1) *dicentem.*

Credo ego, qui fuscum dixit se Glaucia, fuscum
Carbonem, fuscam dixerit esse picem.
Credo ego, qui fuscam dixit te, Nevia, fuscum
Stultus ebur, fuscam dixerit esse nivem.
Ergo doce, quid sit fuscum, atque irata moneto,
Candida ne posthac, nigraque fusca vocet.

CIV.

In gibbum Hermocratis.

Pars toto major comperta est denique: toto est
Hermocratis gibbus grandior Hermocrate.

---

(1) "Scripserat is" Fuscus ego, fuscum tu quiddam, Nevia, praefers.

CV.

Ad Quintum asserentem, non esse feminam in Occultorum Academiam cooptandam.

Occultos inter censeri, Quinte, sodales
Judicio digna est femina nulla tuo;
Et meritò; namque, hos celebret si femina coetus,
Hìc, reor, occulti jam queat esse nihil.

CVI.

In idem argumentum.

Femina cur coetu secluditur, Aule, virorum,
Ingenio quae par noscitur esse viris?
Virtutem, quòd inest formoso in corpore, quanta est
(Pace tua dicam) spernere barbaries!
Occultos tanto dignos o crimine se se
Prorsum Cimmerias occulere in tenebras!

LIBER SEPTIMUS.

EPIGRAMMATA VARIA.

I.

Ad Benedictum Stayum, magnis tantùm poëtis dona decernentem.

Qui, magnis tantùm tribui, vis, dona poëtis,
Nemo ut sit magnus, Staïada, efficies.
Quas optat fieri magnas, affundat, oportet,
Humorem parvis Rusticus arboribus.

II.

Ad Eundem de carmine, quo Bembus Raphaëli Sanctio parentaverat.

Morte mori timuit Pictoris maxima rerum
Illa parens? Id tu scribere, Bembe, potes?
Id scriptum laudare potes tu, candide Stay,
Quod scripsisse, scio, non tamen ipse velis?
Cujus in aureolis sapiens veraxque libellis
Haud usquam verum Musa supergreditur;

Cui nihil it fines ultra. Nec maximus Orbis
Jactura unius corruit in capitis.

III.

Ad Victorium Alferium de ejus Tragoediis.

Femineos quaerunt comptus, odere viriles,
Victori, passim qui tua scripta notant.
Herculeam gestet nervosa Tragoedia clavam,
Vi freta et molles negligat illecebras;
Nec Veneri, at similem sese velit esse Minervae,
Non pol! suaviloquam, sed mage grandiloquam.

IV.

Ad Hyppol. Pindemontium, juncta cum illo amicitia.

Pindemonti, aram sacro hanc Cunichius; ambo
Quam colimus, magnum numen; Amicitiae.
Hic, Lyda (1) coram, alternum juremus amorem,
Servandum stabili tempus in omne fide.
Qui fallet, Divamque unà, similemque Dearum
Irasci Lydam sentiat ille sibi!

V.

Ad Clementinam Rossiam.

Usque puer qui te, latuit dum conditus alvo,
Ærumna miseram perdidit assidua,
Effudit celeri se partu, vixque dolorem
Nitenti egrediens attulit exiguum;

(1) Maria Cucuvillia Pizzellia, Romana; moribus, ingenio, doctrina praestantissima femina.

Omnibus et, mirè queis cara es Rossia, mira
  Complevit sospes pectora laetitia.
Hoc fatum est homini: succedunt grata molestis:
  Quos pressit, facili Sors levat aequa manu.

VI.

Ad Balthasarem Odescalchium
e variolarum morbo valentem.

Romae invisa diu ratio fuit ista medelae;
  Pustula qua validis artubus inseritur.
Insita sed postquam tibi pustula tam bene cessit;
  Et, morbo functus, pulcher, ut ante, nites,
O juvenum flos, et Romanae pubis ocelle,
  Balthasar, et Phoebi delicium et Sophiae,
Invisae dudum ratio tota ista medelae
  Ad caelum fertur laudibus eximiis.
Et meritò: nam quis possit non tollere ad astra
  Rem, quae tam caro consuluit capiti?
Quam propter, quum dira lues rursum ingruet urbi,
  Complebitque atris omnia funeribus,
Et malè turpabit cives, hunc acribus, illum
  Erosis linquens naribus, aut oculis,
Oraque sulcatum foedè, nil triste supersit,
  Tam caro quisquam quod timeat capiti.

VII.

Ad Balthasarem Odescalchium,
quem rusticantem non inviserat.

Quamvis rura colas ipsa vicina sub Urbe,
  Nec longa, et facili quò licet ire via;

Attamen, id cupiens, potui te visere nunquam,
Adspectuque tuo, colloquioque frui;
Quippe iter ingressum Boreae vel flabra furentis,
Vel gravis effusa terruit Auster aqua.
Ergo tui oblitum ne credas, scribere raptim
Haec placuit celeri qualiacumque manu,
Atque meam pro me, quam nec mala frigora, tristes
Nec pluviae laedunt, mittere Calliopen.
Hanc, precor, excipias, quo vultu, epigrammata Grajùm
Quum tulit, aut magni carmina Maeonidae.

VIII.

Ex Graeco Anacreontis.

Atridas volui magnos, et dicere Cadmum:
Solus Amor pulsa de cythara sonuit.
Mutavi nervos: Alciden ipse; sonabat
Sponte sua puerum sed Veneris cythara.
Ergo valete mihi, Heroes: mea cantat amores
Mi solos etenim sponte sua cythara.

IX.

Poëta rusticaturus Romae valedicit.

Roma, vale: juvat hinc vacuos decedere in agros,
Quà trita humano sit via nulla pede.
Illic sollicitas animi deponere curas,
Atque meo tandem vivere more lubet.
Non dulces aberunt Musae, non Phoebus Apollo,
Illaque Apollinei scripta venusta chori,
Quae mihi si liceat gelida sub rupe jacenti
Lectare ad murmur lenè sonantis aquae,

Felix sorte mea populosque, urbisque tumultus,
Auratas procerum despiciamque domos.

X.

In Boream.

Quid, Borea malesane, furis nunc vere sub ipso,
Nec pateris molles ludere jam Zephyros?
Laeta nec omnigenis pingi jam floribus arva,
Atque tegi viridi jam nemus omne coma?
Te Pomona, Ceres te flava, et mitis Iacchus,
Saeve, timet; moestus te pavet agricola,
Spesque suas metuit subitò longosque labores
Ne perimant tristi frigora dura gelu.
Parce, precor, flecti, si quà potes. hei mihi! flecti
Sed potes haud ulla, trux, malesane, prece.

XI.

Qui mediocri fortuna contentus sit, beatum esse.

Mene jubes dubio vitam committere ponto,
Et dare non sanis vela ferenda Notis?
Non, mihi nunc auri si quis fulgentis acervos,
Non, mihi si vestem spondeat Attalicam,
Non, si gemmarum quidquid fert India, quidquid
Dives Erythraei parturit unda maris.
Fecundi colles, pinguesque ad flumina campi,
Quos Bacchus, mirè quos amat alma Ceres,
Hic ego sim vester messorque, ac vinitor; ullis
Otia non muto dulcia divitiis.

XII.

Pastor invitat pastorem ad canendum.

Hic nemus, hìc liquidi fontes: hìc roscida, Thyrsi,
Floribus, et laeto gramine ridet humus;
Hìc variae ludunt per frondea tecta volucres;
Hìc levis aestivum temperat aura canem.
Huc niveum compelle gregem. cantabimus unà,
Quod Lycus, et Dorylas, Daphnis et invideat.

XIII.

Nulla fides pelago est.

Quò, miser, insano lucri correptus amore,
Daphni, ruis vasti per vada salsa maris?
Quas tibi divitias fingis? quae gaudia vitae?
Plurima et haud casso parta labore bona?
Terra fidem servat; credit quae semina, reddit
Agricolae multo foenore cultus ager.
Nulla fides pelago est: placidi pellacia ponti
Humanum lusit, ludet et usque genus.
Obrutus hic fluctu manes descendit ad imos,
Hic redit ad patriam nudus inopsque domum.
Quinte, mane; cari monitus ne sperne sodalis,
Quaeque tibi metuit, ne patiare, cave.

XIV.

De legendis Poëtis.

Carmina sunt vitaeque salus, vitaeque venenum:
Carminibus virtus traditur, et vitium.

Huic praebe, huic aurem Musae, puer, obstrue; non est
Omnis Pierii casta puella chori.
Pars castae addixit se se pudibunda Minervae;
Effrons lascivam pars sequitur Venerem.

XV.

De Thyrside et Tulla.

Invisens Tullam, salve, inquit, Julia, Thyrsis;
Nempe illi est quidvis Julia, Tulla nihil;
Cui solus miserae contra est tamen omnia Thyrsis,
Nusquam non Thyrsin quae videt, ac loquitur;
Saepe invita suos mihi quae testatur amores,
Me Thyrsim falso cum vocat ore suum.

XVI.

Ad Aulum.
Quali corpore deceat esse virum
nobilitate generis praestantem.

Candidus, et membris mollis languentibus, Aule;
Id clari, credis, sanguinis esse notam?
At non tale fuit pernici corpus Achilleo,
Non magno Ajaci, aut Amphytrioniadae:
Ora sed ardebant multo suffusa colore,
Frangebat nullus fortia membra dolor.
His, volo, vir similis mihi sit; tibi femina, solem
Quae fugit, inque sua desidet usque domo.
Mollities decet hanc; robur decet, Aule, parentum
Clarus virtutem qui referat, juvenem.

XVII.

In Lucretiam Collatini.

Plus timuit credi, fieri quàm moecha, Lucretì
Filia, Romanae fama pudicitiae;
Ni foret id, Sexti ferro intemerata perire
Pol! mallet, propria quàm temerata manu.

XVIII.

Inscriptum imagini Lucretiae.

Innocua haec Sexti violata est crimine. Cur se
Heu! perimens, proprio est crimine facta nocens?

XIX.

Ad egregium publicae rei Curatorem amore captum.

Aule, urbis nuper spes maxima, quid facis? istos
Cur te tam vecors induis in laqueos?
Cur lentus tenerae mavis servire puellae,
Quàm ceptum eximiae carpere laudis iter?
Ah! furor est uni, quàm cunctis, malle placere,
Velle unam toto Phyllida prae populo.
Non tibi fas curas aliò traducere? curas
Publica res omnes postulat una sibi.
Illa vetat mentem placito submittere amori,
Illa vetat dulci subdere colla jugo;
Et clamat: Meus es, quò nunc te proripis? et te
Una sibi injecta vindicat, Aule, manu.

XX.

Ad Quintum
nihil in Varo non improbantem.

Quae dicit Varus, vel quae facit, omnia culpas;
Nec tam, crede, illi, quàm tibi, Quinte, noces.
Lividulus nam qui nil laudat, nil probat unquam,
Dictis ille fidem derogat ipse suis.
Varo ergo ut noceas, prosis tibi; si pote, laudis
Expressum invito e pectore dic aliquid.

XXI.

Ad Cinnam amatorem senem.

Cinna senex, teneras jam visere parce puellas.
Necdum etiam sentis, quàm grave supplicium est,
Quò te cumque feras, nusquam non perditè amare
Multas; quas et amas, omnibus esse odio? (ctus,
Quippe habet hoc; odio tantò est mage digna sene-
Ipsa Cupidineo quàm magis igne calet.

XXII.

Ad Aulum Tragoediarum scriptorem,
frustra cum Victorio Alferio certantem.

Daedaleos nisus Victorî vincere frustra,
Aule, cupis molli praeditus ingenio.
Artem adhibe, quantam vis, denique; non erit unquam,
Ut terra attollas te tamen ex humili;
Non erit, ut dici possis vel proximus illi;
Non, si te studio ruperis immodico.

Jam sibi jam Tragici primas tenet ille cothurni:
Mirabor, decimas tu tibi si teneas.

XXIII.

Ad Varum.
De ejus carmine, lepido quidem, sed infrugifero.

Vare, tuum carmen ne laudem, res facit una,
Una, mihi at multò maxima; fruge caret.
Delectat, sed non et prodest; hoc ubi desit,
Vati laudem adimo non ego dimidiam,
Sed totam prorsum; nec vatis nomine dignor
Nugarum, lepidus sit licèt, artificem.

XXIV.

Ad Antigenem,
scribentem pulcrè magis, quàm aptè.

Quae scribis, scribis pulcrè omnia, pleraque scribis,
At quae res prorsum respuit, Antigene.
Delphinum sylvis appingis, fluctibus aprum;
Terram astris, caelum conseris arboribus.
Pulcra placent, pulcrum sed quidvis desinit esse,
Apta suis ni sint omnia pulcra locis.

XXV.

Ad Postumum.
Phyllidi melius esse soli, quàm cum illo.

Vidisti solam si quando Phyllida, tute
Id miscrans, illi, Postume, das comitem.

Atqui, te comitem quoties habet, esse videtur,
Credo equidem, illa sibi, Postume, sola magis.

XXVI.

Ad Nearcum de Pallade picta eodem ore, quo Daphnem pinxerat.

Quo picta est Daphne, quòd Pallas pingitur ore,
Non est ingenii culpa, Nearce, tui.
Qui tibi flammato pinxit sub corde Lycorin,
Ni fallor, culpam sustinet unus Amor.
Hanc nisi delebis, quaevis, quam pinxeris, illi
Forma uni formae semper erit similis;
Quo Daphne, ac Pallas, vultu pingetur eodem
Fauna, Ceres, Juno, Vesta, Diana, Venus.
Seu Dea, seu mulier mortalis, nulla Lycorin
Non referet; quidvis una Lycoris erit.

XXVII.

Ad Aulum, prae Philosophis Poëtas contemnentem.

Quos sapere haec aetas putat unos, Aule, putabit
Nempe illos aetas postera desipere.
Philosophi hoc fatum: primò scire omnia, dein mox
Fertur post parvo tempore scire nihil.
Nil firmum huic; subitò vertuntur scita, ruuntque,
Magno quae fuerant scilicet in pretio.
Sors melior vatum est, quos temnis: carmine clarus
Qui semel est, clarus carmine semper erit.
Sub pedibus protrita jacet, quae se extulit altè,
Illa Stagyraei gloria magna senis;

At magis, atque magis semper florentis Homeri
Fama recens caeli templa supervehitur.

XXVIII.

Ad Quintum
de arte Poëtica.

Naturae fontes Priscis patuere; patent nunc
Et nobis. Veterum scripta quid assiduè
Volvimus incassum, nec rerum exempla tuemur,
Quae fidis passim subdita sunt oculis?
Ex vero ductum carmen placet: una Poëtas
Haec fecit veteres ars, facietque novos.
Hanc tu, Quinte, artem penitùs tibi disce; vel ipsum
Æquabis forsan carmine Maeoniden.

XXIX.

Ad Hermogenem Geometram
de ejus carminibus.

Hermogene, tua saepe legis mihi carmina, dici
Et tibi vis, de te quid rear, ingenuè.
Ingenuè dicam, docte o Geometra, rogatu
Dicere quod tandem cogor ab immodico:
Quàm malus es vates, si tam bonus es Geometres,
Neutono longè major es, Hermogene.

XXX.

Ad Eundem carmina scribentem.

Artem quisque suam tractet. Geometra, Poësi
Abstineas (moneo) quàm potes, Hermogene.

Lineolas ducens, vir magnus; carmina scribens,
Exiguus contra crederis esse puer.
Metiri ut caelum possis, dedit aequa; venustum
Ut carmen pangas, non dedit Uranie.

XXXI.

Ad Janum artem Inscriptionum tradentem.

Inscribi deceat quo rerum singula pacto,
Jane, doces artis conditor eximiae;
Quam tamen Herculeus labor est perdiscere totam,
Et tua tot memori condere scita animo.
Aspice, num doceam breviùs, num rectiùs ipse,
Complexus geminis omnia versiculis.
Missa arte, ac phaleris, in saxo quidquid et aere
Scribes, id paucis scribito simpliciter.

XXXII.

Ad Scholam rediens.

Romulei juvenes, mea quos praecepta sequentes
Dulce mihi est rupes ducere in Aonias,
Quàm dolui vobis distractus! quàm modò laetor,
Me cupidum ut cupidis Fors bona restituit!
Restituit cupidum cupidis: licet ardua rursum
Nobis ire unà per juga Pieridum.
Crura dolent aegro; mens at viget, atque vigebit,
(Spero equidem) et vobis serviet usque tamen.
Ite alacres, ite, o, mea post vestigia: laurum
Carpemus pariter dux ego, vos comites.
Ite alacres, celerate viam, cunctosque docete:
Fortibus exiguam nil nocuisse moram.

XXXIII.

Ad Gallam de ejus partu.

Laetaris mater, dias in luminis oras
Editus iste tibi quòd puer est similis.
Patri, pol! mallem, similis foret, omnibus esset
Maternae ut testis, Galla, pudicitiae.
Esse tuum scimus nunc omnes; non tamen omnes
Scimus (quod caput est) unde sit ille tuus.

XXXIV.

Ad Gelliam
oculos turgentes laudantem.

Gellia, cur laudas, quae turgent, lumina? cur non,
Abdita quae frontem sub penitam fugiunt?
Odi oculos, quicumque occursant longiùs aequo,
Longiùs, odi, aequo se malè qui retrahunt.
Displicet extremum quodvis. Lepor et Venus omnis
In medio sedem gaudet habere loco.

XXXV.

In simulacrum Herculis
ab Amore victi.

Femineam induitur pallam; lanamque, columque
Tractat bellipotens Amphytrioniades.
Idalius clavamque puer, setasque leonis,
Tinctaque Lernaeo spicula felle gerit.
Gaude, Juno; tui quem non fregere labores,
Victus ab enervi turpiter hoste jacet.

XXXVI.

In idem argumentum.

Quid tibi nunc magni prosunt, Alcida, labores,
Illaque tot forti monstra subacta manu?
Pensa trahis Lydae probrosa in veste puellae,
Et tremis, et saevae jussa times dominae.
Ridet Amor; clavamque, et terga hirsuta leonis,
Horrendas tractat, nec timet, exuvias.

XXXVII.

Ad Solem exorientem.

O Sol, jucundo lustras qui lumine terram,
Atque redis campos vecte per aërios,
Salve, operum hortator, salve o: Nox lurida longè
Te fugit, obscoenis cincta caput tenebris:
Te veniente, procul somnusque, et somnia cedunt,
Omnis et ignavo a corpore languor abest.
Pastor oves curat, ventis dat navita vela;
Incipio laetum scribere carmen ego;
Teque cano, te, Sol, primum; pictasque volucres,
Et vatem ad cantus qui revocas hilarem.
Nec pateris, turpi mersum torpore veterno,
Et vitam indecori perdere in otiolo.

XXXVIII.

De inani Vari amatoris querela.

Quae mala dissimilem tibi me Fors junxit, ut esses,
Tulla, mihi aeternus scilicet usque dolor?

Perpetuas iterem nulla ut non luce querelas,
  Quòd facto, aut dicto laeseris immeritum:
Quòd, quaecumque tibi feci bene, vel bene dixi,
  Ingrato spernens pectore despueris?
Et potui tam saeva pati? nec rumpere vincla
  Mens fuit, ac tristi solvere colla jugo?
At nunc est; jam, Tulla, meus jam denique fio;
  Haec lux infandi est ultima servitii.
Sic Varus: vanos ridet secum illa furores,
  Et durum exercet saevior imperium.

XXXIX.

Ad Postumum, aegrè ferentem quiddam verso nomine de illo scriptum.

Nescio quid de te, mutato nomine, scripsi.
  Id tibi cur lectum, Postume, displicuit?
Cur tibi non placuit potiùs; te laedere, amice,
  Cum possem, noxa quòd tamen abstinui?
Quòd telum, in vacuas missum per inania nubes,
  Non te, non verum nomen et appetiit?
Hoc ego, si nescis, dilectos more sodales,
  Quae peccant, nulli noxius, admoneo.

XL.

Ad Petrum,
Domini praesentiam agro colendo necessariam esse.

Multi multa docent, ruri quae cura colendo,
  Quidnam amplis laetos fructibus auctet agros.
Petre, sed haec praecepta unum longè omnia vincit,
  Saepe agrum Dominus visat ut ipse suum.

Negligit absentem, credo, neglecta vicissim;
Praesenti omnigenas terra ministrat opes.

XLI.

De rei rusticae administratione.

Ni jactum semen tellus alat ubere gleba,
Tellurem fortis ni juvet agricola,
Agricolam et dominus cogat sua munia fungi,
Atque rei praesens consulat ipse suae;
Haec ni cuncta adsint, pleno tibi, Postume, cornu
Agrestes nunquam Copia fundet opes.
Parce uni stultus telluri fidere: fructus
Dant unà tellus, agricola, et dominus.

XLII.

Ad Pedagogos, et Ludimagistros.

Vidi ego, qui molli docilis parebat habenae,
Nusquam et non flecti rite solebat equus,
Sessor ubi dorsum pressit ferus, arctaque duxit
Fraena, et ferrato calce latus petiit,
Indomitum caeco ferri per devia cursu,
Et ruere in ripas, saxaque praecipitem.
Heus! juvenem quicumque regis, da mollia jura:
Pugnabit saevis efferus imperiis.

XLIII.

Ad Ponticum morbos suos continuò narrantem.

Usque tuos narras moestus mihi, Pontice, morbos,
Ut verear, ne me fortè putes Medicum.

Non sum equidem: si sim, primum praescribere vellem
Hoc, tacitus morbos ut patiare tuos;
Nec tristi senio tot foeda ingrataque narrans
Incassum assiduè teque tuosque neces.

XLIV.

Fronti nulla fides.

Cinna, tibi placidus, mitisque videtur: ovilla
Veste tegi sed scis, Orphyte, saepe lupum.
Fronti nulla fides; ni dictaque, factaque constent,
Mansueta sanus nil moveor facie.

XLV.

De Phyllide, et Lycoride
ex Italico Cajetani Goltii (1).

Candida moerebat Phyllis, quòd fusca Lycoris
Visa est fulgidulis pulcrior esse oculis;
Cui Puer Idalius: Quid moeres? Lux caret alma,
Nox una est claris praedita sideribus.

---

(1) *VERSI ITALIANI*
di Gaetano Golt.

Doleasi con Amor la bianca Flora,
Che una brunetta avea luci più belle:
Zitto, mia cara, egli rispose allora,
Non vedi all' ombre appartener le stelle?

XLVI.

Cui judicium desit, nil prodesse ingenium.

Ingenio praestas acri; praestare velim te
Acri etiam ad vitam, Cinname, judicio;
Naturam et rerum penitùs dum perspicis, omnes
Scrutari et Veri tam catus es latebras,
Cernere quid deceat, quid non, quae res tibi prosit,
Quae noceat, damnumve, aut ferat invidiam.
Haec si quis nescit Sapiens, multùm hercule frustra
Dum sapit ille aliis, nil sapit ipse sibi.

XLVII.

Nihil videre, nihil audire Amantes.

Utile nil videt infelix, nil audit Amator.
Hinc vittam, et vellus fert puer hinc Veneris:
Hac oculos claudit, ne quid sibi cernere possit,
Hoc, monitus ne quos audiat, auriculas.

XLVIII.

Forma eadem non et color omnes detinet idem.

Pulcrum est, quod menti visum placet; et placet (omne,
Unde Boni praestans objicitur species.
Hinc non forma omnes eadem, non detinet idem
Nos color: hinc pulcri judicium variat. (alter,
Quippe Bonum, quod res visa indicat, haud videt
Alter solerti perspicit ingenio.
Sic tabulam interdum doctus miratur Apelles,
Quam rudis inspectam despuit agricola.

XLIX.

Scriptores aevum decorant.

Quod tuus Augusto scripsit sub Principe Celsus,
Hòc, Leucon, pluris non erit ille mihi.
Scriptores aevum decorant: qui scriptor ob aevum
Laudatur, pretium non habet ipse suum.

L.

Ad Caelium,
qui, e paupere dives factus, Musis valedixerat.

Calliope quondam, et flavus dictabat Apollo,
Nunc algens dictat carmina Pauperies.
Testis eris, Caeli, cujus Musa ista diserta,
Factus ut es dives, turpiter obticuit.
Dii malè divitias perdant, quando illa voluptas
Nobis, illa tibi gloria deperiit
Divitias propter! Redeat, precor, et tibi dictet
Auro cara magis carmina Pauperies.

LI.

Æneas loquitur.
Litora tum Patriae lacrymans, portusque relinquo.
VIRG.

Dardaniae sedes, bello et subversa bilustri
Moenia, nostrorum regna vetusta patrum,
Nunc moesti cineres tantùm, convulsaque saxis
Saxa, et Trojano sanguine pinguis humus;
Fluminaque, et pulcri colles, et dulcia rura,
Et lustrata meo litora cara pede,

Litora cara, valete: vocant quò fata Deorum,
  En pando celeri vela ferenda Noto.
Digredior, quòcumque feret ventusque, Deusque;
  Et vehor hinc alias forsitan ad lacrymas,
Bellorum ad casus alios, quoscumque dabit Fors.
  At quòcumque ferar, quae loca cumque colam,
Quidquid ero, natale solum, sedesque paterna,
  Nunquam erit, ut memori defluat ex animo.

LII.

Ad Accam de formae instabilitate.

Obvius adspexi Pholoën, Æglenque sorores;
  Neutra erat a longo tempore visa mihi.
Agnovi foedam; contento lumine quamvis
  Spectarem, pulcram noscere non potui;
Pulcram olim: veteris jam nec vestigia formae
  Ulla inerant, possim ut dicere; pulcra fuit.
Ingemui, stabili, quod displicet, esse tenore;
  Quod placet heu! celeri vertier, Acca, vice.
Haec tibi me Phoebus jussit narrare, leporem
  Ob formae interdum quòd nimis, Acca, tumes.

LIII.

Poëta de se, suoque erga Antiquos amore.

Irrides, vatum quòd laudo scripta priorum,
  Et verso assidua nocte dieque manu;
Nostra nec aut Grajis aequari, aut digna Latinis
  Saecla reor cultu, laude vel ingenii.
Irrides? sed, quod priscis opponere possis,
  Ecquid habes, aetas nostra quod extulerit?

Haec, quam miramur, quam caelo attollimus, aetas
Parne illis quidquam protulit, aut simile?
Maeonidae confer, quos laudas eumque, Maroni
Vel magno; nugas dixeris esse meras.

LIV.

In scriptorem, nostri aevi contemptorem.

Qui priscos tantùm laudatque legitque poëtas,
Despuit et quidquid tempora nostra ferunt,
Nuper et est si quid scriptum, fastidit, et odit,
Doctumque, et cultum sit licet, et lepidum;
Non aequus veterum virtutem sentit amatque,
Lividus at nostris invidet ingeniis;
Hoc et agit, non ipse suo dicatur, at aevi
Ut vitio insulsus scriptor et illepidus.

LV.

De hospitis, et civis officio.

Et Patriam lauda, lauda et, quas incolis, urbes;
Sic hospes poteris, civis et esse bonus.

LVI.

Ad Quintum, qui se amicitiae oblitum dixerat.

Desine, jam tristi me, Quinte, urgere querela,
Oblitum et veteris dicere amicitiae.
Nil ego te laesi (Phoebum, et communia nobis
Testor sanctarum numina Cas alidum):
Nec mihi contendat quisquam, quem cepit amare,
Majori ut possit semper amare fide.

Sed tua, crede mihi, vigilem te somnia ludunt;
Nec rem, verùm umbras, vanaque visa doles;
Quae tibi discutiat siquis Deus, ista sodalem,
Nosces, quàm laedat falsa querela tuum.

LVII.

Auriga Olympiacus in antiquo marmore.

Lora juvat misso tractare undantia curru,
Alipedum et volucri vincere flabra fuga.
Et juvat Eleo certantem pulvere spargi,
Dum rota se metam fervida circumagit,
Atque omnis fremituque virûm, plausuque faventûm
Lucus, et Alphei flumina pulsa sonant.
Quòd mihi speratae veniant si praemia palmae,
Quid ni vel Superis me rear esse parem?

LVIII.

In Hominem foedum pulcram uxorem ducentem.

Vulcanus Venerem ducis, pulcro ore puellam
Foedus; nec Martem, Cinna, tibi metuis?

LIX.

Femineam formam citò perire.

Effoeta pulcram vidi cum matre puellam;
(Visa est aeternas vincere nata Deas;
Matri vix inerant priscae vestigia formae)
Atque tuens ambas talia verba dedi:
Femineus, docet haec, qui sit decor; haec docet, eheu!
Quàm citus in ventos avolet ille decor.

LX.

Qualem Amicum sibi expetat.

Qui me collaudent, multos nanciscor ubique,
Et pronum est cuivis dicere, quod placeat:
Qui mihi me ostendat peccantem, et culpet apertè,
Vix unum in multis millibus invenio.
Hunc ego amo ante alios; quantò et minùs ille placere
Mi curat, tantò mi placet ille magis.

LXI.

In Ponticum urbanatim ruri viventem.

Rure urbem mutas; nec mutas, Pontice, transfers
At magis urbanos in tua rura lares.
Cuncta nitent; turba fervet domus; advenit hospes
Multus; lux crebris perditur officiis:
Nusquam tuta quies, nusquam otia lenta, nec usquam
Exlex libertas, priscaque simplicitas,
Quae nisi contingant visenti rura, quid, oro,
Est aliud, quòd tam visere rura velis?

LXII.

Ne fortem stolidis misce.

Ne fortem stolidis misce: imperterritus ille
Et videt, et certa mente pericla subit;
Hos praeceps coecos rapit impetus; urget honesta
Hunc Ratio; hos turpis, quò decet, Error agit.
Hic se homines supra extollit, similisque Deorum est;
Infra hominem hi reptant assimiles pecudum.

LXIII.

Parvus ne magna cupiat.

Parvus magna cupis: hinc est tibi curta supellex,
Fortunae haud impar scilicet, ast animo;
Quem nisi compescat Ratio, quamcumque feret Fors,
Explebit diram copia nulla sitim.
Tantalus infelix, nullo et satiatus ab haustu,
Optabis medio in flumine semper aquas.

LXIV.

Non omnibus omnia convenire.

Blanda canis dominum redeuntem in tecta solebat
Queis properè occurrens excipere illecebris,
Has olim expertus frustra narratur asellus,
Verbera et officio multa tulisse suo.
Omnia non rerum sunt omnibus apta: placere
Pars opera, cassis pars pote blanditiis.

LXV.

Ad Aulum de amicitia.

Dulcis amicitiae qui nescit foedera, amari
Nec se vult alii, non amet ipse alium;
Antra colat, sylvasque, hominum commercia laevus
Vitet, montivagis tristior ille feris.
At me sanctus amor sic fido jungat amico,
Spiret ut in gemino corpore mens eadem;
Illi ut ego, ut contra mihi vivere gaudeat ille,
Una sit ambobus res ut, et una salus.

Hoc opto; hoc prope jam quia contigit, Aule, beatus
Ipsam vix Divis ambrosiam invideo.

LXVI.

Ad Quintum, ne praesentibus futura mala adjungat.

Praesens, Quinte, malum satis est; ne adjunge futu-
(rum;
Quae nunquam fient, nulla futura putes.
Cur dolor antevenit casus? incerta laborum
Cur tibi jam certas, Quinte, ferunt lacrymas?

LXVII.

In idem argumentum.

Ah satis est, quod vita ferat, tolerare malorum,
Nec sibi tot tristes fingere velle metus.
Cur properas? quod abest, metuens cur praecipis? (ultro
Adveniet, si quid Fors inimica parat;
Adveniet; figetque, suo sed tempore, vulnus.
Cur, nondum facto vulnere, Amice, doles?

LXVIII.

Periculosum esse transitum a parvis ad magnos sodales.

In mediis mulus vitam degebat asellis,
Florebatque omnes nobilis ante alios,
Egregius forma prae cunctis, et celer idem,
Et, quot sunt, raris dotibus eximius.
Auritos tandem sprevit, fugitque sodales,
Et se se in medios intulit altus equos.
Continuò doluit, verti simul omnia, nulli
Non longè toto de grege posthabitus;

Nec jam formosus, nec jam celer, omnibus expers
Et, quotquot fuerunt, dotibus eximiis.
Tum secum haec: inter quantò praestabat asellos
Laudari, sperni quàm meritò inter equos!
Tullum haec compellat mea fabula, qui male cautus
A parvis magnos transilit ad socios.

LXIX.

De Asino
alienis honoribus superbiente.

Fortè Deûm Matris simulacra ferebat asellus,
Quae flexo excepit plurima turba genu.
At ferus intumuit fastu, dum scilicet illo
Se, veluti Numen, credit honore coli;
Cui baculum impegit ridens, et dixit agaso:
Non tuus est, quo tu, stulte, superbis, honos.

LXX.

Quare melius Romae vivatur,
quàm Neapolis.

Mirè Parthenopen laudas, Fernande, frequenti
Arcta fremunt semper compita quòd populo.
Isti me fremitus laedunt. Placet alta Quirini
Urbs, vulgo colitur maxima quae modico.
In turba hìc nusquam luctari cogor, amicus
In media et Musis multa via meditor;
Plerumque et rediens mecum sub tecta reporto
Quae mihi dictavit carmina Calliope.
Haec longè, credo, praestat, quàm jurgia, lites,
Clamores, rixas, probra referre domum.

LXXI.

Se non fugere populum, sed turbas.

Tamne, inquis, fugitas populum ferus? Orphyte, ve-
(rum
Si quaeris, fugio turbam ego, non populum.
Non laedit numerus, laedunt convicia, rixae,
Clamores, exlex, vanaque laetitia,
Quidquid et insanit vulgus. Fac, talia desint,
Me nunquam in solis videris esse locis.

LXXII.

Effusissimi imbris terror quid doceat vatem.

Effusum latè caelo vidi agmen aquarum;
Mersum latè orbem fluctibus immodicis,
Horrendam et speciem morientûm gurgite in alto
Vidi equidem, ac totis artubus intremui.
Averti et vultum spectaclo exterritus, illud
Triste meo et metuens exitium capiti,
Mire Opifex, taceant de te praeconia famae:
Quantus sis, terror me docet ipse meus.

LXXIII.

Dolet, se indicta causa damnari.

Non quòd me damnas (judex non displicet aequus,
A culpa nec me semper abesse reor),
Sed quòd me damnas indicta, Pontice, causa;
Id doleo, id de te, Pontice, saepe queror.
Cur delatori das ambas, cur mihi neutram
Servas, dum crimen diluero, auriculam?

Vix audita una dumtaxat parte peractum
Quis ferat incerto crimine judicium?

LXXIV.

Ad Quintum
dolentem, quòd non fiant, quae velit.

Ne tibi, Quinte, voles quae, fient, saepe dolebis;
Nam rarò fient quae tibi, Quinte, voles.

LXXV

Ad Varum sibi morbos fingentem.

Ægrotat Varus. quaeris, quo, Pontice, morbo?
Quem fingit validus scilicet ipse sibi;
Ullo quaesitum nemo deprendere pacto
Quem vir Paeonia doctus in arte queat,
Ni vacuum ingressus parvi penetrale cerebri
Intus fortè aliquid somnioli inveniat:
Quo fit, uti vigilans de se, si credimus ipsi,
Quod rerum est, nusquam sentiat, et videat.

LXXVI.

Mentem erudiri non posse,
nisi freta sit ingenio, et arte.

Qualem se pennis hinc atque hinc nixa volucris
Sublimem nubes tollit in aërias:
Talis doctrinae se mens in templa serena
Atque arte, atque acri promovet ingenio.
His freta est alis; harum si fortè soluta
Alterutra est, casu corruit Icario.

LXXVII.

Ad Cinnam sua carmina edere nolentem.

Carmina, quae scribis, ni sint mendosa, lepore
Prorsum omni et careant, atque sale, ac venere,
Velles, Cinna, legi tandem, et notescere vulgo,
Nec semper posses clausa fovere domi.
Nam quòd te dicis nil tangi laudis amore,
Jurato nequeam credere: laudis amor
Cui nullus prurit sub pectore, scribere versus
Parcit; non scriptos gaudet habere domi.

LXXVIII.

De Amore sub specie Amicitiae.

Foedus Amor casto se pelli ab limine Pollae
Vidit ubi, faciem fraude mala occuluit,
Et sanctae speciem mentiri, et verba pudicae;
Et morem ingenuae cepit Amicitiae.
Frustra: quidquid agit, quaecumque est verba locutus,
Quisnam sit, certis noscitur indiciis;
Et nulli obscura sperantis vincere fraude
Ridemus fatui stultitiam Pueri.

LXXIX.

Insano amore captum ruris delicias non recreare.

Varro urbem fugiens vacuos ut venit in agros,
Et latus in viridi gramine deposuit,
Quercus ubi, et dulces Zephyris motantibus umbrae,
Et fugiens tremulo garrula lympha pede,

Salve, o curarum requies, tu me mea, dixit,
Eximis inviso villula servitio.
Sic ait; ingemuit mox alto e corde, parari
Heu! reduci parvo in tempore triste jugum.

LXXX.

De Gallo, uno oculo amisso.

Gallo, dum sequitur fugientem fervidus hostem,
Allabens oculo est fixa sagitta. Manu
Ille premens vulnus: tamen, inquit, dulce vel uno
Est oculo vestram posse videre fugam.

LXXXI.

Rem speratam placere, repertam sordere.

Qui, sibi desponsam, te miro ardebat amore,
Fastidit junctam te sibi conjugio.
Parce queri; humanis commune id, Gellia, rebus,
Sperata ut placeant, partaque displiceant.

LXXXII.

Multa et magna loqui, non esse bene dicere.

Multa loqui non est bene dicere: multa loquentem
Est nemo, qui te, Cinname, non fugiat.
Magna loqui, non est bene dicere: magna loquentem
Est nemo, qui te, Cinname, non fugiat. (dicam,
Quidnam ergo est, inquis, bene dicere? Cinname,
Si potero. Est quiddam, quod placet auriculis,
Quod subit, et vario miscet praecordia motu;
Est quiddam, paucis quod licet efficere;

Est quiddam, quod tu mente ista, corpore et isto,
Omnia si facias, non tamen efficies.

LXXXIII.

De Ænea, et Anchise.

Æneas, Troja extremo dum corruit igni,
Impiger annosum sustulit ipse patrem:
Mox ait, o genitor, te salvo ex ignibus uno,
Alta ego vix Trojae moenia versa queror.
Cui pater: incolumi te, gnate, haec moenia nunquam
Versa, ego, nec Phrygias esse fatebor opes.

LXXXIV.

Anchises Troja excedens.

Dii Patrii, densos vestra en simulacra per hostes
Haec ego et e mediis ignibus eripio.
Vos natumque, nurumque meam, parvumque nepo- (tem
Eripite e duris casibus incolumes,
Et date mansurasque domos, vastandaque nunquam
Saevorum bello moenia Grajugenûm.
Haec mihi sollicitat mentem unica cura meorum;
Ipse mihi nam, Dii, quid metuam, aut cupiam,
Qui jam postremo languens in fine senectae
Nec felix possum, nec miser esse diu?

LXXXV.

De Julo, et ejus progenie.

Et meritò Iliaci clarum caput ardet Iuli,
Laneus et flavo in vertice fulget apex:

Nempe haec venturos portendunt monstra nepotes,
Factaque magnorum fortia Juliadum;
Quos vigor in totum latè feret igneus Orbem;
Quorum se, vasti quà patet unda maris,
Quàque mari tellus circumflua, gloria fundet,
Et flamma, et Solis lumine fulgidior.

LXXXVI.

De suis, et Francisci Cancellerii carminibus.

Non gemini fratres, partu quos mater eodem
Fudit, sunt inter sese adeò similes,
Ut, Francisce, meis tua carmina. Si quis utrumque
Damnat, fors rectè sentit; at alterutrum
Qui damnat seorsum, nil sentit prorsus, et acri
Mente caret, doctis et caret auriculis.

LXXXVII.

In idem argumentum.

Quae scribis, Francisce, probem licèt omnia, laudo
Vix quidquam modicè, parciter, et timidè;
Namque meo tuus iste color sic convenit, ut, quae
Scribis tu, alter ego scribere mi videar;
Nec largè laudare ausim, ne dicar ineptus
Ipse meis auctor plaudere carminibus.

LXXXVIII.

Consilio interdum Fortunam praevalere.

Cui bene res cessit, sapientem; cui malè, stultum
Dicere cum vulgo, Pontice, stultitia est.

Consilio interdum Fors praevalet: et, bene struxit
Quae Ratio, ad terram Diva superba ruit.

LXXXIX.

Ad Antigenem de multiplici artium studio.

Orator, Medicus, Pictor, simul omnia mirè
Vis fieri; fies at nihil, Antigene;
Et foedam referes, insomnia Graja, Chimaeram,
Fingi quae potuit, vivere non potuit.
Esto unus: pugnat naturae, quisquis ineptus
In se vult formas jungere dissimiles.

XC.

Ad Quintum, se illius dictis nequaquam moveri.

Nil moveor dictis, res est ubi pulcra, protervis;
Pulcra ubi res non est, laude nihil moveor.
Ipse mihi de me credo, mihi conscius uni,
Nec studeo dici, Quinte, sed esse probus.
Dic quaecumque placet; vacuas tua verba per auras
Irrita in aërios cuncta volant Zephyros.

LIBER OCTAVUS.

EPIGRAMMATA

SEPULCRALIA, ET LUGUBRIA.

I.

Ad Lucam Sorgium Ragusinum
qui Poëtam rogaverat,
ut in parentalibus Rog. Boscovichii aliquid scriberet.

Supremum volui Rogero solvere munus,
Funereum tristes carmen ad exequias;
Ingeniumque ingens, clara et laudare reperta,
Et vitam, mores dicere et eximios:
Nec potui: cari admonitu mens aegra sodalis
Frangitur: haud voces, haud subeunt numeri;
Ima fodit moeror luctu praecordia; manant
Perque genas largae perque sinum lacrymae.
Has Patriae possum, dulci has persolvere amico;
Has tibi, qui me urges, inclyte Sorgiade.
Nunc plorat meus hic tantùm; post tempore longo,
Fors erit, ut fundat verba diserta dolor.

Digitized by Google

II.

Ad Benedictum Stayum
in obitu ejus sororis.

Functa soror letho est tibi, Staje; at parce dolere;
Ætherias felix jam colit illa domos.
Flere nefas puppim, portu quae condita in alto est,
In tutum aequoreas nec timet acta minas.
Heu! moneo frustra; pectus dolor effodit imum,
Atque ora invitae moesta rigant lacrymae.
Hoc vulgo distas sapiens: tu fraena retentas,
Indocilis luctu fraena dat ille suo.

III.

In obitu Christophori Stay, Benedicti fratris.

Qui mihi sint modicè cari, queis carus et ipse
Sim modicè, multos forsitan inveniam.
Quando alium posthac miser at nanciscar amicum,
Qui sibi me anteferat, quem mihi ego anteferam?
Haec mihi, te rapto, spes occidit, optime Stay;
Insolabiliter morte tua hoc doleo.

IV.

Ad Benedictum Stayum,
graviter aegrotante Rogerio Boscovichio.

Rogerum lethi versari limine in ipso,
Dixisti lacrymans tu mihi, Staïade:
At mi cor geminus fodit dolor, illius ergo,
Atque tui; dulcem ne mala Fors riperet

Vitam illi; dulci ne tu viduatus amico
Vitam odisse tuam perditus inciperes;
Perditus heu! luctu, fraterno in funere qualis
Insolabiliter te miserum obruerat.

V.

Card. Alexandri Albani
Tumulus.

Condit Alexandrum lapis hic, quem Roma senectae
Extremo raptum in limite moesta gemit;
Dignum omnes longè vitam producere in annos;
Ut foret usque bonis artibus auxilio,
Ornaretque Urbem monumentis, mira videri
Vel priscis possint qualia Caesaribus.

VI.

Jacobi III *Anglorum Regis*
Tumulus.

Hìc jaceo, Anglorum regno qui laetus adempto
Romae privato sub lare consenui,
Romanamque Fidem longè insignique coronae,
Et proavûm sceptris omnibus antetuli.
Nunc mi eadem caelumque aperit, regnoque rependit
Exiguum ingenti, perbreve perpetuo.

VII.

Ducis Arcis Filiae tumulus.

Arcis prima Ducem patrio quae nomine dixi,
Eleonora tegor trima sub hoc tumulo.

Laeta mihi, nolim luctu afficisse parentes,
Quorum risus, amor, deliciaeque fui.
Sed bene, quòd frater superest. Rex aetheris alti,
Oro, serva illum sospitem et incolumem;
Redde illi, quae dempta mihi sunt, tempora; cumque
Rite suos annos vixerit, adde meos.

VIII.

Ad Card. Joannem Baptistam Rezzonicum morte immatura, et subita extinctum.

Vixisti nulli non carus, Batte, juventa
Quem mors florentem sustulit in media.
Insolabiliter flet raptum Roma; Quiritûm
Extincti passim nomen in ore sonat.
Quisque tuas memorat laudes: quàm comis in omnes,
Batte, homines fueris, quàm pius in Superos,
Quàm celer ingenio, quàm rebus dexter agendis,
Quàm suadae plenus nectare suaviloquae.
Ultima purpureum laus est gestasse galerum,
Esse ortum et claro sanguine Rezzonidûm.

IX.

In funere Caroli Nooeti Societ. Jesu.

Carole, nec Pharias possum tibi ponere moles,
Viva nec artifici marmora sculpta manu.
Quod possum, ac tenuis patitur fortuna poëtae,
Versibus haec pono condita busta meis;
Busta, quibus moestae sedeant hinc Iris, et illinc
Aurora algentis visa sub axe poli;

In medio, caelum, ac terras quae dispicit, acri
Ingenio, et memori mente valens Sophia:
Virtutes almae circum stent: prima sepulcri
Frons gerat haec udis verba legenda genis:
Carolus ingenio, doctrina, moribus aureis,
Par, quos prisca olim saecla tulere, viris.

X.

Blancae Ingamiae tumulus.

Insolabiliter raptam luget domus omnis,
Et questu, assiduis et revocat lacrymis.
Inscribi hoc tumulo satis est: Ingamia Blanca:
Ætas hinc noscat postera, quae fuerim.

XI.

Ejusdem Laudes.

Caro nota viro, caris et nota propinquis,
Externis nosci Blanca viris renui.
Usque domum, et dulces curavi sedula natos,
Luxum Urbis, vanos et fugiens strepitus.
Ante omnes formosa alias, formam esse putavi
Hanc unam, innocuis moribus esse probam.
Haec vivae meruit mihi veram semita laudem;
Extinctam haec sedes duxit ad aetherias.

XII.

Metastasii tumulus.

Urna Metastasium brevis haec tegit: assidet urnae
Atque decus raptum flet sibi Melpomene.

XIII.

Ad Metastasium
de justis ei solutis ab Arcadibus.

Jure, Metastasi, funus tibi triste Camoenae
Ducunt Parrhasium per nemus Ausonides:
Restabat verae nam si pars ulla poësis,
Si quidquam in dulci carmine flexanimum,
Si quidquam sapiens, quod menti affundere lucem
Possit museis implicitae illecebris;
Heu! totum id periit tecum: vesana furentùm
Nil restat praeter somnia, stultiloquos
Nil praeter sonitus, et cassos mente fragores,
Et fucum, et gerris omnia plena meris.

XIV.

Rufinae Battoniae
Tumulus.

Hic Rufina jacet, cantu quae mira puella,
Mira magis vita sed fuit innocua;
Digna choros inter mortales magna putari,
Transferri ad superos dignior illa choros.

XV.

In parentalibus Ejusdem.

Justa Metastasio nuper, nunc justa poëtae
Rufinae Arcadio solvimus in nemore.
Musa dolet geminam cladem. Quis carmina dignè
Scribet? quis dignè carmina scripta canet?

XVI.

De insigni Pictura Raphaëlis Menxii.

Mirum opus hoc Menxî! ceptum quod morte sub ipsa
Optavitque omnes exigere ad numeros,
Exegitque aliis, at non sibi; tangere metam
Nec pulcri, quam mens viderat, evaluit.

XVII.

De postrema Pictura R. Menxii.

Hoc opus extremum Menxî est; miransque dolensque
Roma viro plausum dat simul, et lacrymas.

XVIII.

In obitu
Raphaëlis Menxii.

Menxius occubuit. Multos numerare licebit
Pictores tota rursus in Ausonia.
Sic ubi se occidua clarus Sol mersit in unda,
Astra polo passim multa videre licet.

XIX.

In idem argumentum
ad Raphaëlem Sanctium.

Menxius hìc, laudum, Raphaël divine, tuarum
Æmulus, exiguo conditur in tumulo:
Pingere quo vivo didicit, quo maxima Roma
Extincto rursum pingere dedidicit.

XX.

Rephaëlis Menxii tumulus.

Menxius hìc jacet, heu! Plorat Pictura, nec ullum
Esse usquam, reparet qui sua damna, videt.

XXI.

Ejusdem tumulus.

Menxius hìc situs est, quo vivo, vivere rursum
Est visus Rephaël, quo moriente, mori.

XXII.

In Epitaphium Raphaëlis Menxii,
in quo Pictor, et Philosophus dictus est.

"Pictor, Philosophus" jacet hìc. Inscribere Menxî
Quis tantùm hoc pulcro sustinuit tumulo?
Pictor, Philosophus! Quid tum? Pius, Integer; adde:
Extremos restant haec modò post cineres.

XXIII.

Tumulus Licophontis Trezenii,
nempe Antonii de Gennaro Ducis Belfortis.

Hìc situs est Lycophon, vates longè optimus, at vir
Multò, quàm vates, ille tamen melior;
Quem sibi Parthenope raptum flet, moestaque flebit,
Dum Musas, mores dum colet illa bonos,
Et spernet vulgus procerum, et laudabit, avitam
Qui lucem, at claros luce sua, decorat.

XXIV.

Titiani Tumulus.

Hoc tibi amatores artis, Titiane, sepulcrum,
Ne jaceas parvo maximus in tumulo.

XXV.

In Montium quemdam morte praereptum.

Nusquam ergo, Monti, nusquam, Monti optime, jam te
Ereptum nostris cernimus ex oculis!
Quaerimus at luctu perfixi pectus acerbo,
Nulli et non largis ora madent lacrymis;
Quaerimus, et moesta praereptum voce vocamus,
Et sumus, atque tui dein erimus memores.
Nec mite ingenium, multo nec plena lepore
Verba, nec illa doli nescia simplicitas,
Utilis, et multis, et nulli noxia vita
Oblitis nunquam mentibus exciderit.

XXVI.

In mortem Sacchini.

Magne jaces Sacchine: modi siluere, morari
Concita qui possent flumina, Threicii;
Vincere qui cantus Orphei, raptamque vocare
Euridicen auras non semel ad superas:
Nec prorsus periere tamen, quos candida servat
Usque sibi aeternis Harmonia in tabulis;
Unde sibi exemplum saeclis petet omnibus omnis,
Qui cantu scenam, templa vel exhilarat.

XXVII.

Volteri Tumulus.

Volterus jacet hìc; qui millia multa virorum,
Seque suo infelix perdidit ingenio.
Nunc, risor Superûm, quae risit, vera fatetur,
Et videt offensi quàm gravis ira Dei est.
Qui legis haec, gemitum da moesto corde; brevisque,
Dic, jocus heu! longas desinit in lacrymas.

XXVIII.

Tumulus uxoris nequaquam fletae.

Hunc mihi vir posuit tumulum, tumuloque locavit
Moesta haec de Phario marmore signa super;
Quam dedit haud ullam nostro ipse in funere, duri
Si possint lapides mi darse lacrymulam.

XXIX.

Tumulus uxoris fletae.

Mi tumulum, lacrymas mi vir dedit. Obtigit illud
Multis, hoc paucis pol! meruisse decus.
Funus fortunae, fusos in funere fletus
Æquus persolvit moribus ille meis.

XXX.

Tumulus Naufragi.

Sterne salum, Neptune; maris compesce furores;
Magna tibi, taurus, victima caesa cadet.

Clamabam haec; hausit clamantem dira procella;
Auxilio faciles non habet unda Deos.
Siste gradum, litus qui linquis, dum licet: imo
Conditus hic moneo naufragus e tumulo.

XXXI.

Tumulus Conjugum.

Hic Lupus, et pariter conjux Leonilla quiescunt,
Ipso ni mulier litigat in tumulo.

XXXII.

Phaetontis Tumulus.

Hic situs est Phaëton, pravo qui laudis amore
Caelo stultus equos impulit ignipedes;
Nec tenuit cursum, sed curru effusus ab alto
Decidit in magnum torridus Eridanum.
Hoc fratrem in ripae tumularunt aggere, flentque
Mutatae assiduis Heliades lacrymis.
O juvenes, cohibete animos; audacia praeceps
Ipsa suo arcessit nam capiti exitium.

XXXIII.

Tumulus viri optimi,
qui mentis minimè compos se ipse interemit.

Expers curarum jaceo, qui me ipse peremi,
Curis in furias actus ab indomitis.
Nec miserum est, insons, dempta sine crimine mente,
Vita infelici denique si carui.

XXXIV

Tumulus Clytemnestrae.

Terra Clytemnestram tegit haec, Agamemnona, Orc-
(stenque
Alto quae horrendè sub tumulo exululat;
Incestatque locum crudelis adultera, nati
Mactari dextra vindice digna parens.

XXXV.

Tumulus Agamemnonis.

Atrides jacet hìc major, quem saevior hoste
Mactavit patrios ante marita lares;
Exemplum infelix, contempti fraena pudoris
Rupit ubi, possit femina quid sceleris.

XXXVI.

Tucca uxori suae tumulum.

Servitio exemptus longo, curisque solutus,
Hunc tumulum uxori Tucca lubens statuo.

XXXVII.

De tabula exhibente mortem Priami.

Hìc versam Argolico Trojam cum cerneret igni,
Collapsumque altos Ilion in cineres,
Infelix Piamus (misero nec sacra Penatum
Umbra, nec Hercei profuit ara Jovis)
Juxta Hecubam, gnatas juxta, supraque Politen
Æacidae telo concidit exanimis.

Quaere nec heu! tumulum: sine nomine corpus in ipso
Praeda jacet diris litore vulturiis.

XXXVIII.

Tumulus Polidori, Trojani.

Hic jaceo Iliades Polidorus, quem impius hospes
Confixum telis obruit innumeris;
Scilicet ut, mecum genitor quas miserat olli,
Me rapto, Iliacas solus haberet opes.
Oblitus pactamque fidem, sociosque Penates
Caede mea infidum polluit hospitium.
Da lacrymas misero: quidque auri, disce, viator,
Possit in humano pectore sacra fames.

XXXIX.

Tumulus hominis minimè ambitiosi.

Quò mihi regalis moles operosa sepulcri,
Claraque de Phariis marmora caesa jugis?
Quò mihi Pyramidum sumptus? quò stantia signa,
Et mea inauratis nomina scripta notis?
Et vivus sprevi quondam, nec mortuus istas
Cepi auri, et lapidum quaerere delicias.
Rite, sat est, si condar humo: putrescere corpus
Ut queat, est sedes quaelibet apta satis.

XL.

Avari tumulus.

Divitias liqui miser omnes: foeda sepulcro est
Fama comes clausas ob malè divitias.

XLI.

Tumulus
Passeris Lesbiae.

Hìc jacet herboso Passer sub cespite, bustum
Cui struxit nivea Lesbia pulcra manu,
Cui dedit extincto lacrymas; nec fundere fletus
Cessat adhuc moesto e pectore luctificos,
Atque suos querula testatur voce dolores,
Nec parcit teneras ungue secare genas.
Invideo lacrymas. Vitae sic tempus in omne
Nil habeas majus, quod tibi flere queas!

XLII.

Hominis avari tumulus.

Hìc indefletus jacet Orphytus; ille, mereri
Multorum dives qui potuit lacrymas.

XLIII.

In idem argumentum.

Me lapis hic (vixi mihi tantùm commodus uni)
Contegit haud ullis humidus a lacrymis.

XLIV.

Epitaphia
Lucillae lectissimae feminae.

Haud ulli forma, ingenio, virtute minorem
Lucillam brevis haec (proh dolor!) urna tegit.

Digitized by Google

XLV.

Hìc Lucilla jacet: vivam est mirata puellam;
Extinctae justas Roma dedit lacrymas.

XLVI.

Conditur hìc Lucilla; urna et conduntur eadem
Ornant femineum quae bona cuncta genus.

XLVII.

Lucillam sacer hìc somnus fovet: illius ergo
Moesta domus, natae, vir, patruus, vigilant.

XLVIII.

Lucillae ad cineres flores jactate, puellae
Romulides; vestri flos fuit illa chori.

XLIX.

Astra super fugiens, patriam Lucilla petivit;
Laeta suo hìc cineres liquit in exilio.

L.

Quod mortale fuit Lucillae, hac conditur urna:
Pars melior templis regnat in aethereis.

LI.

Epitaphia
nobilis quidem sed ignavissimi hominis.

Hic jaceo proavûm clarus virtute meorum,
Ipse mea obscurus Glaucia desidia.

LII.

Hoc facio in tumulo, vita quod semper in omni
Feci; tabesco Glaucia desidia.

LIII.

Hic jaceo magnum nomen, sed dicere nomen,
Acta ubi res nulla est nomine digna, pudet.

LIV.

Quis jacet hic? quem si dicam, nil noscere possis,
Ortum ni magna scilicet esse domo.

Digitized by Google

LIBER NONUS.

EPIGRAMMATA
AD LYDAM, LYDÆQUE FAMILIAM. (1)

I.

De domo Pizzellia.

Una mihi requies longae Pizzellia curae
  Est domus, una meis portus, et ara malis.
Exul Romulea videar mihi degere in urbe,
  Hanc mihi praecludant si mea fata domum.
Haec modò si pateat semper, quòcumque cadat sors,
  Nullo non aequè tempore laetus agam.
Hìc Helicon, Pindusque mihi est; hìc est bona, carmen
  Assiduè dictat quae mea Lyda mihi.

(1) Clar. Vir Vincentius Fuga Soc. Jesu, Ragusinis civibus quoque notus, eo quod in hoc Ragusino Collegio olim praeceptor fuit, pagina 187 carminum suorum, quae unà cum carminibus clar. viri Josephi Petrucci ejusdem Societ. Romae edita fuerunt an. 1822, in adnotatione X. ad Sermonem I. sic de Lyda " Hoc (Lydae) nomine nobilissimus Poeta Raymundus „ Cunichius appellare consuerat Mariam Cucuvillam Pizzelliam in suis „ carminibus; feminam eruditissimam, quae non solum Graecas, Latinas, „ Hetruscasque Literas, sed et Philosophiam, Mathesim, aliasque sublimiores disciplinas noverat ".

II.

Ad Lydam
optimam optimi viri uxorem.

Lyda, viro es felix; felix te conjuge, Lyda,
Vir tuus est; ambo quos mea Musa colit,
Quos mihi si liceat saeclis monstrare futuris,
Atque modis pulcrè pingere Pieriis,
Non erit, ut desit, donec mea carmina vivent,
Exemplum fidi normaque conjugii.

III.

Laudat Lydae formam,
sed pracipuè mores.

Et forma praestas, et moribus, optima Lyda;
Dente malo at formam deterit usque dies;
Mores nulla aetas potis est corrumpere: cedit
Non morbo virtus inclyta, non senio.
Hinc tibi de multis possum hoc praedicere amicis,
Quorum te assiduè plurima turba colit:
Istam si quis amat formam, citò desinet; istos
Si quis amat mores, semper amicus erit.

IV.

Ad Lydam.

Non ego te stultè modò visam captus amavi,
Propter te mores nec placuere tui;
Tu propter mores cepisti, Lyda, placere,
Queis nihil est unquam suavius, et melius.

Hi tibi, fac, maneant semper; meus usque manebit
Idem amor, extremos integer ad cineres.

V.

Ad Postumum
de se, et Lyda.

Quòd saepe affari soleo, quòd visere Lydam,
Postume, femineo captus amore feror.
Jure sed, in raris quamquam audit prima puellis,
Lyda virûm est scribi dignior in numero,
Quam variae exornat doctrinae mira supellex;
Quae nil non acri pervidet ingenio;
Cujus mi placet eloquium; nec displicet ipsa
Actaeae similis forma severa Deae.
Has propter dotes cui Lyda est cara viriles,
Falsò ego femineo captus amore feror.

VI.

Ad Lydam
assiduè doctrinae operam dantem.

Femineas perdit laudes brevis hora; colorque,
Et forma in nubes diffugit aërias.
Cum senuit, contempta jacet, florente juventa
Praelata Idaliae quae fuerat Veneri.
Hoc ne, Lyda, tibi contingat, perge viriles
Femineis laudes laudibus adjicere.
Disce avidè quidquid restat, veniente senecta
Pulcra futura minùs, docta futura magis.
Nil tibi decedet pretii; sub vertice cano
Stabit at usque, tuum crescet et usque decus.

VII.

Quid fiat, absente Lyda.

Huic, bona Lyda, feras praesens quae gaudia coetu,
Sentimus, quoties cedis ab Urbe procul:
Nam sine te moesti non aequa hìc mente sedemus,
Quisque gravis sociis, et gravis ipse sibi.
Nil audire aliud; nil gratum est dicere; sermo
Unus hic est; quo sis tu reditura die.

VIII.

Ad Dianam de Lyda Ariciam petente.

Laetor, Aricinos quòd Lyda excurrit in agros,
Atque tuum visit, casta Diana, nemus.
Adsis, Diva, precor, venientem et mollibus ulnis
Laeta fove, auxilio, fac, valeatque tuo;
Florentemque genas, hilaremque, et membra vigentem
Ocyùs ad cupidae tecta remitte domus;
Coetus ubi comitum quaerit, revocatque profectam,
Et modò jam nimiùm dicit abesse diu.
Si facias, Lydae vates teque, et tua dona
Tollam carminibus sydera ad alta meis;
Rursus Aricinos et Lydam excurrere in agros,
Atque tuum hortabor visere, Diva, nemus.

IX.

Ad Lydam, feminam viris sapientiorem.

Inter, Lyda, viros miror te saepe loquentem
Sic, sola ut prorsum vir videare mihi;

Cactera, versatur quae circum, turba virorum,
Feminea lanam ducere digna colo.
Macte, tui decus o generis, macte, inclyta Lyda,
Naturam virtus quam super alma locat.

X.

Ad Lydam, cur Metastasium laudare nolit.

Lyda, Metastasium, vis, laudem? nil opus illi est
Laude mea: scriptis noscitur ipse suis;
Eximio et latè mirus fulgore coruscat
Inter et Eoos, inter et Hesperios.
Quis demens adeò se posse intendere speret
Exigua Solis lumina dia face?

XI.

Ad Clementinam Rossiam, Lyda reversa.

Clementina, vale; rediit mea Lyda; reverti
Illa suum vatem sub sua jura jubet.
Te colui Lydae cultor: nec gloria parva est,
Quòd potui Lydae te statuisse loco;
Illi posthabeo quòd te uni, qua mihi dempta,
Unam te, quot erant, omnibus antetuli.

XII.

Ad Lydam de ejus querela.

Non memor esse tui dicor? (tantum excidit ore
Lyda, nefas!) dicor non memor esse tui?
De qua saepe audit me passim Roma loquentem:
De qua, tantisper denique cum taceo,

Sermoni ut videar sociorum impendere curam,
In te cura omnis dum tamen usque manet,
Frons, oculi, vultus clamant: huic corpus in Urbe est,
Post Lydam longè mens ïit hinc peregrè.

XIII.

De Lydae epistola.

Lyda suo aureolum, longè omni carius auro,
Lyda suo vati misit epistolium.
Pace tua hoc liceat mihi, Tulli, dicere: nunquam
A te scriptum aliquid tam mihi dulce fuit,
Tam jucundè animi sensus descendit in imos,
Ac tetigit mira cor penitum illecebra.
Mella tibi e calamo prodibant dulcia: Lydae
E calamo prodit nectar et ambrosia,
Queis alor; atque mihi felix conviva Deorum
Aureolo videor factus epistolio.

XIV.

Ad Lydam de Apro Sodalibus apposito.

Apris Circe olim socios mutavit Ulyssis;
Lyda, tuos posito tu bene pascis apro.
Ergo illam, ut licuit, cuncti fugere: solutus
At tua qui fugiat fercula, nullus erit.

XV.

Ad Lydam inter viros praestante.

Lyda viros inter vir facta est: demite formam,
Femina femineum praeferet illa nihil:

Illa viris adeò similis, vir nullus ut esse
Illi, si possit, non cupiat similis.

XVI.

Ad Lydam, se cum illa esse in Urbe, quàm sine illa rusticari malle.

Hic mihi ager laetus, mihi florea prata; susurro
Hic dulci arboreas quae ciet aura comas,
Et volucrum cantus, pastorum et carmina, si quid
Et mage jucundum rura beata ferunt.
A te ne cogar quòquam secedere, Lyda,
Neve tuis caream dulcibus alloquiis, (Tempe,
Urbs mihi habet quidvis, Tiburque, et Tuscula
Hesperidumque hortos, et nemora Alcinoi.

XVII.

Ad Levinum impropriè hortantem, ut Lydam laudaret.

Pangere quid clavum sit, novi; pangere vitem
Quid sit; quid carmen pangere, novi etiam.
Pangere quid Lydam, cupio, Levine, doceri.
Dic quonam pangi debeat illa modo,
Quove loco. Ipse quidem sublatam praepes in axem
Astris pangam illam, si potero, in mediis.

XVIII.

Ad Lydam, cur de ea silere statuerit.

Lyda, mihi de te certum est nil scribere posthac.
Cur scribam, cunctis quod malè displiceat?

Quidquid enim scripsi, mirans formamque, leporem
Atque tuum, et mores, omnigenam et Sophiam,
Magna nimis de te videor tibi, Lyda, poëta
Veri expers, aliis dicere parva nimis.

XIX.

Ad Lydam de papyro oblata.

Hanc tibi, ni spernis, niveam do, Lyda, papyrum.
Gestit pol digitos illa subire tuos:
Quaeque mali vatis metuebat carmina, sperat
Felix literulis illa nitere tuis;
Atque tuos sensus venturis prodere saeclis,
Et miram omnigenae pandere vim Sophiae;
Quam licèt occultes, nusquam non lumine claro
Sponte sua scriptis fulget in aureolis.

XX.

Ad Lydam Dantis carmina legentem.

Carmina cui Dantis tam sunt jucunda, virile
Condis feminea sub facie ingenium.
Non te deliciae verborum, sed capit alti
Vis animi, rerum mirifica et series,
Pictaque tam vero quae scribit cunque colore,
Ipsis te ut jures cuncta videre oculis;
Et visu horrescas, doleas, laetere, sub imam
Aut terram, aut sedes rapta per aetherias.
Haec capiunt te, Lyda, viris pol digna placere.
Blandum aliae cupidis auribus excipiunt,
Et solum clamant vatem, versantque, leguntque,
Et memori condunt mente Metastasium.

XXI.

De imagine Hieronymi Juliani in domo Pizzelliana relicta.

Orator Venetus, Romana clarus in aula,
Carus et eximiè dotibus eximiis,
Hoc desiderii lenimen dulce reliquit
Huic, vocat absentem quae memor usque domus.
Heu faciem cur muta unam sic reddit imago?
Suave illud cur non reddit et eloquium?

XXII.

Ad Postumum de Lyda doctrinam dissimulante.

Quam sibi praestanti congessit Lyda labore,
Ingentem omnigenae, Postume, vim Sophiae,
Miror ego, quoties promit, largèque fluentis
Sermonis dulci nos beat ambrosia.
Sec magis hoc miror, nec rarò, quòd tacet ultro,
Atque suas non vult promere divitias;
Quòd doctos inter non curat docta videri,
Quàm lingua, et mavult utier auriculis.
Magnum est, doctrina quod praestat femina; majus
Est, quòd doctrinam femina dissimulat.

XXIII.

Ad Lydam de poëtis eam laudantibus.

Usque tibi vatum crescit chorus, optima Lyda,
Certatim in laudes qui studet ire tuas.

Laetor ego mihi tot socios pulcri esse laboris,
  Tollare ut lepidis versibus astra super;
Ut scia haec aetas, aetas et postera, virtus
  Quàm te ornet miris dotibus omnigena.
Tentavi hoc solus frustra: fortasse (juvari
  Nec pudet) adjunctis pluribus, efficiam.

XXIV.

Hortatur Benedictum Stayum, ut Lydam cantet.

Lyda rogat carmen; causas tu nectis inanes,
  Et trahis ingratas, dulcis amice, moras.
Digna tuo Lyda est celebrari carmine, dignus
  Tu, Stay, es, Lydam carmine qui celebres.
Ambobus veniet par gloria; desinet ambos
  Nulla et felices dicere posteritas:
Illa tuo ingenio dotes quòd praebuit aequas,
  Æquum tu illius dotibus ingenium.

XXV.

Ad Lydam, cur illam prae Lalage diligat.

Mens quoties pulcro se pulcra in corpore prodit
  Sic prorsum, ut mores, formaque conveniant,
Mulceor hoc mirè concentu; multa meduilas
  Flamma subit; toto pectore captus amo.
Dulci at sub forma cum se mens improba celat,
  Et foedè a vultu dissonat ingenium,
Discordi veluti sonitu conturbor, et odi
  Mendacem pulcri corticis illecebram.

Digitized by Google

Hòc, Lyda, est, quòd te cupidè visoque coloque;
Æquè formosam quòd fugio Lalagen.

XXVI.

Ad Nymphas Tusculanas.

Nymphae, pinniferos saltus quaecumque tenetis,
Et juga in aëriis Tuscula verticibus,
Vos Lydam, vestras quae gaudet visere sedes,
Certatim blandis vultibus excipite;
Vos fulcite aegram; lucos et ducite in altos,
Suavis ubi arboreas ventilat aura comas;
Grata ubi pictarum resonat vox multa volucrum,
Et strepit arguto garrula lympha pede:
Et laetos ductate choros: risu, atque cachinnis
Sint, facite, ac lepidis omnia plena jocis;
Diffugiant Curae tristes, Moerorque severus;
Ludant passim alis Gaudia purpureis.
Sic, Nymphae, vestro in coetu per florea rura
Laeta animi celeres transigat illa dies;
Inde domum rediens alto det membra sopori,
Et somnum luces protrahat ad medias.

XXVII.

Ad Lydam.

Quàm sis grata mihi, didici te, Lyda, carendo;
Ipsi nam sine te sum mihi, Lyda, gravis;
Et caris, qui me visunt, stipatus amicis
Desertus videor, solus et esse mihi;
Nec, mihi cum solus secreta in sede relinquor,
Aoniis possum corda levare modis:

Non mi grandiloqui divinum carmen Homeri,
  Romanae scriptor non sapit Iliadis.
Una juvas praesens animum; te denique visa,
  Laeta oritur multa luce serena dies;
Mens viget; effundo carmen, de vertice Pindi
  Venerit ut subitò si mea Calliope.

XXVIII.

Lydae fratrem
convaluisse gaudet.

Quòd tibi convaluit frater tuus, optima Lyda,
  Mi penitos hilarant gaudia laeta sinus:
Adversae quidquid sortis, sortisve secundae
  Tu fers, id pariter tecum ego nempe fero.
Nec mihi tam doleo (crede hoc) nec tam mihi laetor,
  Quàm doleo, laetor quàm, mea Lyda, tibi.

XXIX.

Ad Petrum Lydae filium
Neapolim euntem Patrui visendi causa.

Visere quòd patruum tam gestis, Petre, paterni
  Cara tibi haud dubitans linquere tecta laris,
Non miror: dignus visi est; gaudebis, ut illum
  Ornatum eximiis dotibus adspicies:
Te quoque gaudebit conspecto haud parciùs ille,
  Atque suae agnoscet spem columenque domus.
Quid pater interea? quid mater cara? sodales
  Quid, te qui toto pectore diligimus?
Heu!.. desiderium tamen aequa mente feremus,
  Noster ne minuat gaudia vestra dolor.

XXX.

Ad Petrum Lydae filium iter parantem.

Comparat apta viae mater tibi, Petre, tuumque
Multà gemens moesto corde volutat iter:
Parvum iter, at matri toto prope longius aevo,
Cujus amor mensem saecula multa putat.
Nec metus est ullus, ne te tamen illa moretur:
Mirè amat illa quidem, sed sapienter amat.
Quid sibi jucundum, non quaerit; quae tibi prosint,
Qualiacumque, satis dulcia quaeque putat.

XXXI.

Ad Lydam, Petro filio Neapolim eunte.

Petrus abit: quid tu, mater? cui novimus illum
Plus quàm partem animae demere dimidiam.
Discidium fers triste: sinu latet abditus alto
Moeror: naturae fraena regit Ratio.
Macte, lecta diu sapientum scripta virorum
Non mulier molli pectore dedecoras.

XXXII.

In idem argumentum.

Petrus abit longè; sed enim, ducente Minerva,
Quam teneris coluit parvus ab unguiculis.
Parce metu, bona Lyda: nefas timuisse periclum,
Se se ubi dat sapiens Diva potensque ducem.
Illa suos vita quàm pulcrè servet in omni,
Tu potes exemplo prima docere tuo.

Parce metu: tibi quae semper favet, haud tibi natum,
Quò se cumque ferat, deseret illa tuum.

XXXIII.

Ad Lydam de itinere Petri filii sollicitam.

Ceu bona Penelope doluit, quum Pallas amica
Abduxit patrio limine Telemachum;
Sic tu, Lyda, doles heu! nunc dum, lux tua, dulcis
Natus abit pulcrae ad moenia Parthenopes.
Parce tamen curis: prolem quae duxit Ulyssis,
Illum etiam ducet, quò parat ire, Dea:
Illum etiam reducem, parta sibi laude, videbis,
Telemachum vidit ceu bona Penelope.

XXXIV.

Ad Lydam, Petro filio absente.

Petrum, Lyda parens, quòd mens tibi cogitat usque,
Petrum quòd prope jam singula verba sonant,
Quòd Petrum totae referunt, credo, tibi noctes,
Plurima et in faciem somnia visa suam,
Miratur quicumque tuum modò novit amorem,
Egregii at dotes nescit adhuc juvenis.
Qui scit enim, non quòd tanto dignetur amore,
Sed, quòd sit tanto dignus amore, stupet.

XXXV.

In idem argumentum.

Parthenopen tenuit Petrus tibi, Lyda: (poëtae
Praesens haec vero Delius ore canit),

Parthenopen tenuit sospes: laetum obvius ulnis
Excepit passis jam patruus juvenem.
Vis et, quae dicant, narrem tibi? plurima de te
Dicunt; et, quid agas, hic rogat, ille refert.

XXXVI.

Ad Lydam de Phyllide.

Lyda, rogas, quae visa mihi sit candida Phyllis,
Phyllis Romulei rara puella soli.
Difficile est omnes laudare aut dicere dotes;
Singula quàm deceant, quae facit, et loquitur;
Quàm proba sit, quàm culta: brevi tamen omnia dicam:
Visa mihi Phyllis, Lyda, tui est similis.

XXXVII.

Ad Lydam, lecta lepidè narrantem.

Quidquid, Lyda, legis, sic narras ore diserto,
Ipse tuo scriptor cedat ut eloquio;
Omnia nam mira perfundis luce, lepore
Et miro sensus inseris in penitos.
Felix, enarras quem tu, liber! optimus ille
Continuò, et dulci est dulcior ambrosia.
Sic utinam enarres, quae de te carmina condo!
Nomen ero in magnis vatibus eximium.

XXXVIII.

Ad Lydam, cur pingi nolit.

Lyda, senex pingi nolo, doliturus, imago
Seu mihi dissimilis, seu fuerit similis.

XXXIX.

Ad Lydam, quà ipse se velit pingere.

Hanc nolo pingi faciem; perit illa senescens;
Quin periit: mentem pingere conor ego
Ipse meam, sic, ut possit conspecta placere,
Inque meis longùm vivere carminibus;
Carminibus, de te quae scribo, et scribere pergam,
Ingenio donec vis erit ulla meo.
Quae quum, Lydà, legès, verè, aptè, rite, decenter
Te pictam, pictum me simul invenies;
Forsitan et dices musco capta lepore:
Huic mens non pulcro in corpore pulcra fuit.

XL.

Ad Lydam de Cinna festa bacchanalia vitante.

Miraris, sanctis addictus Cinna Camoenis
Quòd fatuos gaudet spernere, Lyda, choros;
Orgia bacchantis quòd vitat foeda popelli,
In tacita mavult solus et esse domo.
Id te mirari, mirum est mihi, Lyda; Teneri
Illa non stultus quis pote stultitia est?
Quis pote (tantillum sapiat modò corde) videre
Æqua mente Urbem tam malè desipere?

LXI.

In Ineptum Lydae cultorem.

Assiduus Lydan invisis, Ponticè; num te
Quàm spernat, noscas ut magis atqe magis?

XLII.

De Lyda omnibus Romanis feminis antelata.

"Nulla est Romulea par Lydae femina in urbe":
Non magnum est, suevit dicere quod Lycidas.
Hoc magnum est: quotquot Lydam novere, fatentur
Omnes id verè dicere quòd Lycidam:
Magnum hoc: Lyda suam quòd laudem respuit una,
Jurat et id falsò dicere quòd Lycidam.

XLIII.

De Lydae probitate in facie conspicua.

Lyda, rogas, quanam sit, Postume, praedita forma.
Pulcra oculis, menti est pulcrior illa meae;
Qua visa, haud tantùm possis dixisse venustam,
Scire sed et sanctis moribus esse probam.
Credo, si faciem sibi Virtus fingeret ipsa,
Hanc faciem Virtus fingeret ipsa sibi;
Qualis et est intra, cum se se ostenderet extra,
Ad se omnes mira duceret illecebra.

XLIV

Ad Lydam de ingenio muliebri.

Quisquis femineum spernit genus, et putat esse:
Corpore ut est, molli futile sic animo,
Vel semel audierit si te, mea Lyda, loquentem,
Clamabit: Fallor: quàm viget ingenio!
Quàm miranda viros haec vincit femina! quanto
Expendit rerum singula judicio!

Quàm cupidè Verum vestigat mente sagaci,
Inventum et coecis protrahit e latebris!
Quas sibi congessit, quas, cum res poscere visa est,
Expromit docto e pectore divitias!
Digna coli, digna est, quam propter dicere nemo
Audeat, esse genus futile femineum.

XLV.

Se, nisi Lyda jusserit,
non posse ex facili carmen scribere.

Ne vexa miserum, ne frustra obtunde rogando
Istud nescio quid carminis, Hermogene:
Herculeus labor est quodvis mihi condere carmen.
Quidnam, inquis, carmen quum tua Lyda rogat?
Tunc non Herculeus, non magnus, non mihi parvus
Est labor; at prorsus desinit esse labor.

XLVI.

De Lydae nomine,
Ad Julium Somaliam.

Cur Lydam vocitem, Somalia docte, rogasti
Istam, quae canitur rara puella mihi?
Omphale Alciden domuit quòd Lyda, vocavi
Lydam ego, me captum quae meliùs domuit.
Illa Deum a pulcro jussit cessare labore,
Foedaque feminea ducere pensa colu;
Haec me cessantem pulcro insudare labori,
Atque sua carmen scribere lege jubet:
Illa decus misero partum abstulit; haec mihi cogit
Me, sua dum perago jussa, parare decus.

Digitized by Google

XLVII.

Cur Lydam dicat puellam.

Miraris, quoties dixi te, Lyda, puellam.
Quid? vis te incipiam dicere stultus anum?
Nil medium est certè: prisci dixere puellas,
Quas nondum incanas curva senecta domat.
Quare, ego te qualem vocito, vocitare, necesse est,
Ad multas pergam, Lyda, ut Olympiadas.

XLVIII.

Ad Stayum,
poëtae carmina coram Lyda laudantem.

Staye, ornas coram Lyda mea carmina. Laudis
Auctorem ac testem nullum ego maluerim;
Non, si Parnassi me, coram Calliopea,
Laudarit Phoebus vertice in aërio.

XLIX.

De Lyda graphicè tabulam narrante.

Quid mihi opus tabulam, quam narras, Lyda, videre?
Pulcram (sic narras) jam tabulam video.

L.

Ad Hippolytum Pindemontium,
de salute sibi missa, Lyda interprete.

Qui memor usque tui sum, candide Pindemonti,
Cunichides didici te memorem esse mei;

Atque mihi missam post tempora longa salutem
Accepi magna non sine laetitia.
Lyda tulit, nullis non claram laudibus ambo
Quam toto attoniti pectore suspicimus.
Haec salvere tuo jussit me nomine; earum
Fors et habet, earum quòd videt esse tibi.
Perge: mei memorem semper te; semper, eadem
Et qua nunc didici, discere teste velim.

LI.

Ad Lydam, quid sibi in Albanos agros excurrenti praecipuè placuerit.

Albanos libuit qua luce excurrere in agros,
Lyda, brevi, quid me juverit, expediam.
Juvit pura dies, caelumque innube, virensque
Juvit ager, pulero et caerula lympha lacu;
Juvit Stayadûm, viso me, laetus uterque,
Lautaque cum multo prandia ducta joco.
Haec juvere; tuus juvit super omnia gnatus,
Lyda, mihi assiduus qui fuit usque comes.

LII.

In idem argumentum,
Ad Petrum Aloysium Pizzellium.

Quae nunquem placuit, socio te, visa placere,
Petre, mihi caepit villula mirificè.
Qualemcumque, voles crebrò si visere mecum,
Hortis mi fiet gratior Alcinoi:
Quòd si Lyda parens tua tecum venerit unà,
Ipsis dicetur laetior Elysiis.

LIII.

Ad Lydam
de Philippo Bonamicio.

Advenit nobis gemino post mense Philippus,
Queis menses visi saecula sunt gemini.
Gaude, Lyda; boni, adventu gaudete, sodales;
Noster amor nobis ecce Philippus adest,
Fertque suos secum lususque, salesque, leporesque,
Et gratum est coetu quidquid in ingenuo.

LIV.

Ad Petrum Aloysium Pizzellium
Lydae filium.

Petre, tibi mirum tribuit natura leporem:
Est aliquid, quòd te Lyda parens genuit;
Cujus et arguto interdum pendemus ab ore,
Sparsa jacit multo dum sale dicta pater.
Fide modò ipse tibi, tacitus nec pectore conde
Sensa animi, haud quaquam digna latere, tui.
Laedimur, assiduè insulsi quòd multa loquuntur;
Si taceant salsi, funditus occidimus.

LV.

De Lyda tussi et febri laborante.

Immites Zephyri, dum vos ferventibus horis
Exciperet laxo candida Lyda sinu,
Laesistis miseram: guttur gravis obsidet humor,
Praeclusumque dolet ravida vocis iter.

Immites! Caurum vobis, Boreamque nivalem,
Quidquid et est venti saevius anteferam.
Nempe aliis nil fraudis inest; franguntque, feruntque
Cuncta palam: vos clam fraude mala miseram
Laesistis, Zephyri; tussimque, febrimque tulistis
Blanditim vafris certiùs insidiis.

LVI.

De Lyda, et Balth. Odescalchio simul visis.

Qua te, Lyda, frui qua te mihi, Balthasar, unà
Laetanti faciles annuerunt Superi,
Hanc ego candidulo signabo, ut digna, lapillo,
Atque colam memori mente animoque diem.
Salve, o lux auro mihi carior, obtigit unà
Dulcis qua geminae fructus amicitiae;
Qua clarum audivi juvenem, sua scripta legentem,
Miranti assedit qua mihi Lyda comes.

LVII.

Ad Julium Somaliam Lydam revisentem.

Quàm te digresso doluit, Somalia, coetus
Hic noster, tam te gaudet item reduce;
Aspectuque tuo fruitur, fruiturque beatus
Et morum et rari dotibus ingenii.
Nec quisquam est (hoc Lyda ferat me dicere, primam
Quam tuus huc reditus mirificè exhilarat) (Lydae
Nec quisquam est numero ex omni, qui non prope
Magna sua exaequet gaudia laetitia.

LVIII.

Ad Lydam Meropen Scip. Maffei mirificè agentem.

Maffeum attonitus mirabar, scribere talem
Eximius vates qui potuit Meropen:
Nunc magis admiror te, praestans femina, talem
Quae voce, atque oculis, vultu et agis Meropen.
Illum certè aliquis carpsit; te carpere, ut ipsa
Spectatrix adsit, non queat Invidia.

LIX.

In idem argumentum.

Ah quid agis, mater? natum vis perdere, nati
Ultrix, tela manu projice; ne misero,
Heu misero, infelix, dulcem, tua munera, vitam
Eripe. Spectaclo sic animum attonitus
Clamavi (horrebant artus, et corda micabant,
Perque genas ibant, perque sinum lacrymae)
Dum furiis agitur, stricto dum turbida ferro
Sopitum Merope jam ruit in juvenem:
Nec sensi, vana me ludi ab imagine; gnato
Sed lethum, matri sed scelus extimui.

LX.

In idem argumentum.

Egisti e Merope quiddam, Pizzellia: largo
Mi fletu exsangues immaduere genae;
Intremuere artus; vario turbata tumultu
Continuò est imo in pectore mens animi.

Scilicet admonitu a parvo subiere, ciebas
Quos tota motus mirificè in Merope,
Cum versare omnes mihi sensus; meque solebas
Saepe mihi, attonito persimilem, eripere.

LXI.

In idem argumentum.

Reginam egisti pulcrè, pulcrèque parentem:
Olli Majestas, huic erat aptus Amor.

LXII.

Ad Eandem
Medeam agentem.

Egisti pulcrè Meropen, Pizzellia: quid ni
Matrem pulcrè ageres tam tibi consimilem? (crè
Hoc magnum, hoc mirum est, matrum longè optima pul-
Medeam quòd agis tam tibi dissimilem.

LXIII.

Ad Lydam,
quae Poëtae carmina Stayo legerat.

Quae tibi festinus lusi, Pizzellia, tu ne
Legisti magno carmina Staïadae,
Eloquio exaequat prisci qui scripta Lucretî,
Doctrina longè vincit, et ingenio?
Ille, reor, nugasque meas, et sprevit inanes,
Ipse ego quos soleo spernere, versiculos;
Communis Patriae ni vinçlum praepedit, acris
Vim ni judicii fortè retundit amor.

Digitized by Google

LXIV.

Ad Victoriam Odescalchiam de Lyda.

Cunctas pol vincis longè, Victoria, matres;
E cunctis Lydam sed tamen excipio:
Esse parem cui te soli reor: et reor esse
Id plus, quàm cunctas vincere longè alias.

LXV.

De singulari P. Pizzellii scientia in modis faciendis.

Fecisti sic, Petre, modos, nil dulcius esse
Ut queat; ut mi, ullo tangier haud soleo
Qui cantu, et varios vocum sentire lepores,
Omnem sed videor surdus ad harmoniam,
Isti ubi concentus aures percellere primùm
Incipiunt, subitò cor trepidum exsiliat,
Horrescantque artus, circum et praecordia serpat
Nescio quid dulci dulcius ambrosia.
Noster, salve, Orpheu! Qui me sic moveris, hercle
Ipsa potes blandis saxa movere modis.

LXVI.

De Lydae dolore, aegrotante Petro filio.

Ægrotat leviter Petrus. Quid mater? acerbum
Anxia sub molli pectore vulnus habet;
Nec queritur, moestos nec languidulo singultus
Ore ciet, tristi nec rigat imbre genas;

Sed torpet perculsa animi, sed contremit artus,
Sed trepido infelix aestuat usque sinu;
Itque, reditque, locum et mutat, mutatque colores,
Alternatque omnes, corde micante, metus.
Parce, o, plura, parens: ipsam et te respice: morbus
Qui levis est nato, jam gravis iste tibi est.

LXVII.

In Febrim,
qua Petrus Lydae filius laborabat.

I procul, et Stygios, unde huc digressa, revise,
Egregio juveni Febris acerba, lacus.
I procul hinc, si quis pudor est; ac multa, paramus
Quae tibi certatim dicere, probra fuge;
Hìc perstare juvat vel si tamen, illius exi,
Et nostro potiùs te mala conde sinu.

LXVIII.

Ad eundem Petrum.

Gaude, Petre, vales quòd jam tu; sed mage gaudè,
Tota domus tecum quòd tua convaluit.
Illud fortunae debes, artive medentum;
Virtuti hoc debes moribus atque tuis.

LXIX.

De imagine
Mariae Pizzelliae a Leucone picta.

Egregiè Leucon te pinxit; pingere quiddam
Pulcri, ego quod video, non tamen evaluit.

Id sentire magis, quid sit, quàm dicere, possum.
Suada? Venus? multo Gratia plena sale?
Anne Decor miro componens cuncta lepore?
Ipsane Mens pulcra conspicua in facie?
Quidquid at est, rarae multo est pars maxima formae,
Quidquid at est, nulla pingier arte potest.

LXX.

De Eadem ad Leuconem.

Tu Mariae speciem quisti mirandus et ora
Sollerti, Leucon, pingere pulcra manu.
Ars tua nil majus possit. Mihi pingere Phoebus
Posse animum et mores annuit eximios,
Ingeniumque sagax, et doctrinae genus omne,
Consiliumque ingens, dives et eloquium:
Quae mihi venturis fuerint cum prodita saeclis,
Tota ibit gentes nota per innumeras,
Atque inter primas nomen feret heroinas
Major et Evadne, major et Hermione.

LXXI.

De imagine Violantae, Lydae filiae.

Haec, Leuconis opus, Violanta est; pulcra puellae
Ora, manum docti mirer an artificis?

LXXII.

In idem argumentum.

Sic Violanta tibi picta est, doctissime Leucon,
Leucon Felsinei gloria rara soli,

Ut mentem pulcra defixo in imagine sit mi
Non verae similis visa, sed esse eadem.

LXXIII.

In idem argumentum.
Extemporale.

Laudaris similem Violantam pingere, Leucon;
Laudaris veram tu genuisse, Parens.

LXXIV.

De imagine Joannis Pizzellii
Lydae conjugis.

Leuco, tua sic est Pizzellius arte Joannes
Pictus, ut esse queat nil magis assimile.
Os idem est, idem formoso vultus in ore,
Toto eadem in vultu mens prope conspicua.

LXXV.

De imagine Petri Aloysii Pizzellii.

Petrus hic est, Leuconis opus, quod magnus Apelles
Mireturque tuens, et velit esse suum.

LXXVI.

In idem argumentum.

Arte tua Petrum formosa in imagine vero
Pinxisti, Leucón, usque adeò similem,
Attoniti aspectu Petrum ut juremus amici,
Non unum nobis vivere, sed geminum.

Digitized by Google

LXXVII.

Ad Leuconem.

Pingere vis pulcrè Violantam? Pinge Dianam,
Virgineo qualis sed praeit ore choros.
Pingere vis pulcrè Petrum? Pingatur Apollo,
Sed qualis tractat post fera bella lyram.
Pingere vis Mariam? Latonam pinge, sed almo
Palladium in vultu fulguret ingenium.

LXXVIII.

Ad Lydam de Violanta, et Petro filiis.

Natos, Lyda, tuos quum tollo ad sydera, dignos
Dicere consuevi teque, tuoque viro.
Idem ut laude pari vos tollam, dicere natis
Incipiam dignos teque, tuumque virum;
Natus enim vobis mirus jam floret uterque,
Et generi acceptum reddit uterque decus.

LXXIX.

De laudibus Violantae canentis.

Per nemus errabant Dryades: Violanta, canebas
Dulcia fortè tuis carmina structa modis.
Ars placuit, vocisque lepos, laetosque dedere
Formosa plausus terque quaterque manu;
Quidquid et audibant, mirantes, scribere Divae
Certarunt teneris omnia in arboribus.
Nunc eademque iterant, et te, Violanta, magistra
Doctae, quàm suerant, dulcius ore canunt.

LXXX.

Ad Violantam Pizzelliam Lydae filiam.

Vis, te collaudem plenè, Violanta, tuas quòd
Egregiè partes egeris in Merope?
Non opus est multis: uno dicam omnia dicto:
Matre mihi visa es filia digna tua.

LXXXI.

Ad Philippum de dono ad Violantam misso.

Candida, quae mittis Violantae, dona, Philippe,
Apta illi, ut video, sunt simul, atque tibi.
Illa candidius nihil: ornat te quoque fuco
Ista carens omni candida simplicitas.
Cerea sunt eadem quòd munera, mitis et agni
Mystica inest sacris orbibus effigies,
Flecti apta ad laudem quòvis, et mitia, et omnes
Perfecta ad numeros indicat ingenia.
Felix! cui licuit pariter diamque puellam,
Teque tuis mirè pingere muneribus.

LXXXII.

In discessu Violantae ad S. Moniales,

Quò fugis, ah! Violanta? mane: cur saeva parentes,
Heu! heu! cur fratrem deseris unanimum?
Te laeto excipient vittatae corde Sorores,
Mulcebuntque omni scilicet officio:
Verùm ille ut tantus primùm desederit ardor,
Nil erit, ut possis tam bona laesa queri;

Sed, credo, caros optabis moesta Parentes,
Optabis fratrem moesta sed unanimum.
Haec ego: freta Deo, constanti pectore gressum
Extulit e patria dia puella domo.

LXXXIII.

De Violanta
Matrem videre cupiente.

Quae matri, Violanta, tuae te junget, Eoo
Lux veniens clarum tollit ab amne caput.
Ut tibi laetitia trepidat mens; somnus ocellos
Fugit, et in cupido pectore corda micant!
Ut lentam increpitas votis properantibus horam,
Hos subeat genitrix qua tua cara lares:
Aspectuque suo, longo et sermone fruare,
Secum perpetuo nempe futura die!
Nulla mora est; jam jam veniet: sed lenta videtur
Quae veniens, celeri mox ruet hora pede;
Elapsum et mirans magna inter gaudia tempus,
Quònam abiit, dices, quò mihi laeta dies?
Humanis haec nempe bonis est sors; pede lento
Adveniunt, lapsu praepete diffugiunt.

LXXXIV.

De Violanta,
visa Matre suavissima.

Ut caram secum vidit Violanta parentem,
Nunc demum haec, dixit, nunc mihi septa placent.
Virgineo res nulla choro me avelleret unquam,
Haec quoque virginei si foret una chori.

LXXXV.

In idem argumentum.

Dejecto, Violanta, solum cur lumine figis?
Nubes pallidulas cur tegit atra genas?
Haec ego: suspexit matrem illa, et dicere visa est:
Nescis, mi quantas haec habet illecebras!
Quàm non ulla queat mihi, quamvis laeta, placere,
Ni mecum pariter quam colat illa, domus!

LXXXVI.

De Lyda minùs alia curante, aegrota filia.

Anxia dum natae morbo es, nil carmina, credo,
Ulla queunt animum lecta movere tuum.
Nil opus est igitur multa me scribere cura,
Nulla quae cura tu, mea Lyda, legas.
Quidquid enim scribo, scribo tibi: cedit inanes
In ventos, quem tu negligis una labor.

LXXXVII.

Ad Medicum de Lyda, cujus filium curaverat.

Lyda tibi nil non debet mea, docte Coloti,
Cui per te Natus jam valet atque viget;
Cui Natam pergis nunc tristi exsolvere morbo
Arte tua, et curis pervigil assiduis.
Felix, de tali cui tam bene posse mereri
Contigit! invideo, dulcis amice, tibi;
Meque suo vatem qui numine fecit Apollo,
Pro vate ut faciat jam Medicum cupio.

Digitized by Google

LXXXVIII.

De Lyda duas partes bellè fungente.

Dum natae servit, caris dum servit amicis,
Alternat crebras ut mea Lyda vices!
Nunc coetu in medio est; lecto nunc assidet, aegram
Et fovet, ac dulci detinet alloquio.
Partem nulla queat tam bellè fungier unam,
Quàm bellè partes fungitur illa duas.

LXXXIX.

Ad Violantam
praesepe Christi nati contemplantem.

Fratris opus pulcrum, Bethlaea mapalia cernis,
Vagit ubi aeterni Filius ille Patris;
Nempe ut, ceu glaciem fert ille, ac frigora, morbum
Sic, quo fessa jaces, tu, Violanta, feras:
Ille suos patitur ceu laeta mente dolores,
Laeta ut mente itidem tu patiare tuos.

XC.

In Postumum,
malè ominantem de Violantae salute.

Egregius verè solator, Postume, Lydae
Anxia sollicito corda timore levas.
Haec bene se dicit gnatae sperare; spei, tu
Respondes, jam te prorsus habere nihil:
Haec morbi frangi vires; tu, gliscere morbum
Sic, ais, ut medicae vicerit artis opem:

Talia cum gemitu magnum ut testeris amorem.
O saevum horrendae pignus amicitiae!

XCI.

De Violantae in morte doloribus.

Quòd trahit, heu! duros Violanta in morte dolores,
Necdum etiam sedes tollitur ad superas;
Parvae aliquid superest labis fortasse piandum,
Nec satis ex omni candida parte nitet.
Sic opifex aurum purgat multo priùs igne,
Dein locat in regum vertice fulgidulum.

XCII.

De Lydae fortitudine.

Quae tibi vis animi est! quod robur! Lyda, trementem
Quam gnatae in morbo lancinat usque dolor!
Nec tamen aut fundis lacrymas, aut anxia curis
Moesto languidulos ore cies gemitus;
Ne, tuus in vacuas moeror si prodeat auras,
Moestitia totam compleat iste domum.
Macte tua virtute, omni mihi laude locari
Inter magnanimos digna puella viros.

XCIII.

De die, quo obiit Violanta.

Quo se Virgo die, patrum de more, piandam
Templa olim gaudens intulit in Solymae,
Hoc te Virgo, tibi nunquam non culta, supremas
Ad Superùm sedes, templa beata, vocat.

O felix Violanta! labor cui desinet omnis,
  Æternaeque ibunt gaudia laetitiae.
O felix! primo hinc cedentem in flore juventae
  Non fletu, dignam sed reor invidia.

XCIV.

Violantae verba novissima.

Semita quae vitae hic melior foret, aptior et mi
  Ante alias omnes, noscere discupii;
Quaesivi et frustra; magna in caligine, quidquam
  Nec potui, curis anxia, dispicere.
Sed bene habet: miserans longum Deus ipse laborem
  Me bonus ad sedes evehit aetherias,
Illius et transfert felicem ad gaudia vitae,
  Qua nulla est melior, nec magis apta mihi.
Sic ait, eque humili fugiens tellure, beatas
  Intulit in Superûm se Violanta domos.

XCV.

In funere Violantae.

Non tibi ego moestos tam pulcro in funere questus,
  Non tibi ego lacrymas, o Violanta, dabo.
Flere nefas raptam celsi trans culmen Olympi
  Divûm ad sydereas, fulgida templa, domos;
Cantus ubi et choreae, laeta et convivia, mentes
  Et quaecumque hominum gaudia grata juvant.
Nos fleri miseros decet heu! quos, dia puella,
  Deseris in mediis, ipsa beata, malis.

XCVI.

In idem argumentum.

Extinctam vidi Violantam: pulcrior esse,
Quàm quo vivebat tempore, visa mihi est.
Fallor? an hinc abiens aeternae ad gaudia vitae
Mens formae partem liquit in ore suae?

XCVII.

Ad Lydam in funere Violantae filiae.

Quae virgo hinc abiit, tibi gnata, in flore juventae,
Lyda, quot, et quantis est caritura malis!
Hoc certè: haud unquam, ceu tu nunc, perdita luctu
Plorabit gnatam, viscera cara, suam.

XCVIII.

In idem argumentum.

Vita mare est, saevi quam versant undique fluctus,
Ventorum furor et concitat indomitus;
Nec quisquam est tanta in turba, tantoque labore
Felix, quum dubio volvitur in pelago.
Ille modò est felix, qui cuncta exire pericla
Magnorum potuit munere Caelicolûm;
Totque inter scopulos, tot naufraga corpora, portu
Se, vita functus, condidit in placido.
Haec tibi si natae dices in funere, Lyda,
Maternus poterit mitior esse dolor.

Digitized by Google

XCIX.

Poëta ad Lydam Violantae nomine.

Mater, triste mihi nil contigit; aegra, dolori
Pone modum: Divam ne lacrymis viola,
Divam Caelicolûm tecta in stellata receptam,
Plena ubi perpetuae saecla quietis eunt;
Nec curis locus est ullus, duroque labori:
Candida sed pennis Gaudia purpureis,
Laetitiaeque omnes volitant; largaque juventa
Usque manu praebet nectar, et ambrosiam.
Haec fruor; haec carae tu, mater, tot bona gnatae
Moestitia noli digna putare tua.
Lyda, tibi e summo Violantam haec dicere caelo,
Atque tuos luctus jam sibi nolle, puta.

C.

In funere Violantae.

Cara satis, donec vixit, Violanta, supremum
Post funus facta est nunc mihi cara magis:
Et meritò: praestans virtus, qua viva placebat,
Multò est in Divûm sedibus aucta magis.

CI.

Tumulus Violantae.

Hic Violanta jacet, cujus vox, formaque cepit
Terrigenas, virtus inclyta Caelicolas.
Caelicolae ad se se placitam rapuere puellam;
Flerunt rapta sibi gaudia Terrigenae.

CII.

Monet Lydam,
ut foras exeat animum recreatura.

Linque domum, quamvis luctu cor saucia mater,
Nondum et siccatis uda sinum lacrymis.
Erranti occurrent magnam tibi, Lyda, per Urbem
Quae forsan paullum te tibi surripiant,
Vel certè impediant prorsum indulgere dolori,
Et tota in curas mente vacare tuas.
Est aliquid, solidam nequeas quum ponere molem,
Posse mali saltem demere particulam.

CIII.

Ad Lydam matrem moestissimam.

Lyda, tuos possem solari nempe dolores,
Anxia ni premeret mi quoque corda dolor.
Nunc tecum tristes modò possum jungere curas,
Atque tuis moestus fletibus adgemere.
Haec valeo: in luctu, siquis te non amat aequè,
Solamen gelidum, verba diserta, dabit.

CIV.

Ad Lydam,
filiae desiderio tabescentem.

Omnia jam natae solvisti, Lyda: tibi jam
Ipsi quae debes solvere, Lyda, para.
Sume animos; moestas, quantùm potes, abjice curas;
Laetitia et mentem, fessaque corda leva,

Luctus ad extinctos quando hinc non transmeat, ullum
Ad vitam tristes nec revocant lacrymae;
Moerorem at vivis tantùm, seniumque, supremam
Et maciem, et morbos, fataque nigra ferunt.
Non furor est vanos in longum ducere fletus;
Haud prodesse alii, velle nocere sibi?

CV.

Ad Petrum Pizzellium,
qui poëtam inter alios primum salutaverat.

Me primum salvere jubes; nec falleris hercle:
Primus amicorum sum tibi de numero.
Sexcentos inter "Mihi palmam cedite" clamo;
Non erit, ut Petrum me magis alter amet.
Hoc ita quod sentis, gratum est; teneo, atque tenebo
Semper, quem tribuis tu mihi jurè, locum.

CVI.

Ad Lydam,
rogantem quemdam, quàm valeat.

Ah! quid agis, mea Lyda? istum cur ausa rogare es,
Quàm valeat? miseris heu! mala quanta moves?
Quae subitò nobis tempestas ingruet! omnem
Morborum incipiet promere jam numerum,
Et moesta aeternas ordiri voce querelas,
Et dicet decies dicta iterum decies.
Tunc te sera nimis damnabis; tunc malè nobis,
Tunc malè te dices consuluisse tibi:
Crabrones ceu quum stultus puer excitat; inde,
Sensit ubi figi spicula saeva, gemit.

CVII.

Ad Petrum Pizzellium
poëtae gratias agentem.

Petre, mihi sine te nulla est jucunda voluptas;
Tecum epulae, tecum florea rura placent.
Quare ubi te comitem duco mihi, nil mihi debes;
Duco etenim, bene sit quò mihi, te comite.
Ipse magis fateor tibi me debere, quòd ob te
Gaudia mi sapiunt, quae malè desiperent.

CVIII.

Monet Eundem,
ut ruris deliciis fruatur.

Petre, vales: vacuos i tandem laetus in agros,
Quò vocat, ac vegetum te ciet alma Salus.
Illic aërios colles, camposque virentes,
Sylvarum dulces juverit et latebras
Lustrare, atque frui divini gaudia ruris
Vere novo, vernis floribus assimilem;
Vesci et more tuo; nosse et, sibi consulat ipsi
Natura ut docto doctiùs Hippocrate.

CIX.

Ad Lydam
de Merope ab illa acta,
et de Antigona acta a D. Zagarolia.

Spectaram Meropen quondam, mea Lyda, lepore,
Atque tuis captus mirificè illecebris;

Spectaram : scenae quidquam nec posse putaram
  Post illa inferri tàm lepidum, et sapidum.
Spectavi at postquam Antigonam, pol visa lepore
  Illabi est penitis sensibus illa pari.
Salvete, insignes ambae; salvete, coronam
  Queis dedit ambabus candida Melpomene.

CX.

De Lydae laudibus.

Est tibi visa Venus nuper, dum Lyda tacebat;
  Audieris fantem, Postume, Pallas erit;
Forsitan et Juno fiet, vultuque, disertis
  Illectum et verbis quum premet imperio.

CXI.

Ad Lydam.

Ædes, Lyda, tuas laeta dum mente petebam,
  Frigida non Cauri mi fuit aura gravis,
Nimbosumve atra septum caligine caelum,
  Atque ruens gelidae turbidus imber aquae.
Idem ego, te ut frustra quaesivi, limine amico
  Digrediens moestus, dum mea tecta peto,
Nimbosque, et glaciem, vesanaque flamina sensi;
  Imber me saevus, me fera laesit hyems.

CXII.

Ad Postumum. De Phyllide, et Lyda.

Cara mihi est Phyllis, cara est mihi Lyda. Quid (ergo?
  Vecors ille meum pectus an urit amor?

Dii melius! cara est, si nescis, utraque, utramque
Alma suis Virtus quod decorat radiis;
Gratior illa quidem formoso in corpore, sed quae,
Forma etiam dempta, Postume, grata foret.
Hic meus est; quem tu falsò tibi fingis, Amice,
Iste senem longo a tempore fugit, amor.

CXIII.

Ad Lydam insomnem.

Increpui Somnum iratus: Saeve, improbe Somne,
Lydam angi tota nocte dieque sines?
Moerori finem pones nec perditus ullum?
Nec terges tristes ex oculis lacrymas?
Haec ego; cui Somnus: dic Lydae, qui mihi limen
Praecludunt, trepidos ne vocet ipsa Metus;
Laetitiam vocet auxilio, curas fuget omnes,
Atque mihi laxas pandat ut illa fores.

CXIV.

De Lyda ad Somnum.

Somne, veni; ambrosia vigilem perfunde liquenti,
Et caput, et penitos sparge sopore sinus.
Somne, veni; Lydam serva, servaque sodales,
Illa quibus caris carior est oculis.
Thura tibi grati certatim, et liba feremus,
Sertaque purpureis nexa papaveribus;
Certatim laetas voces tollemus ad astra,
Dicemusque: tuo munere, Lyda, valet;
Munere, Somne, tuo, queis cara est Lyda, valemus;
Parta uni haud unam sospitat alma quies.

CXV.

Ad Lydam
Neptunum euntem.

Litoream quando Neptuni tendis ad urbem,
Et procul hinc paullum cedere, Lyda, juvat,
Digressu moesti, dicemus laeta sodales
Verba tamen, faustum quisque precatus iter.
I felix: suaves Zephyri comitentur euntem,
Et niteat pura luce serena dies;
Et quàcumque ibis, nusquam non rideat, almum
Nusquam non varias ver tibi fundat opes.
Occursent faciles Nymphae, multoque rosarum
Certatim properent spargere flore viam.
Haec tibi contingant: constanti mente feremus
Hìc desiderium nos, bona Lyda, tuum.

CXVI.

Nil rus habere,
quod possit se a Lyda avellere.

Tulle, jubes vacuos hinc me secedere in agros,
Cui meliùs multò vivere in Urbe licet?
Perge mihi dulces cantus memorare volucrum,
Et Zephyrûm, et murmur lenè fluentis aquae;
Adde umbras nemorum virides, adde antra, lacusque,
Pomaque curvatis pendula ab arboribus;
Errantesque greges balantûm, armentaque laeta,
Pastorum et junctis carmen arundinibus;
Adde alia et quaecumque voles: haec omnia Romae
Pensabit largè mi mea Lyda comes.

CXVII.

Ad Lydam rusticantem de se Romae relicto.

Roma mihi placuit semper; nunc displicet, eheu!
Convictu careo dum, mea Lyda, tuo.
Dum juga Telegoni lustras tu, solus in Urbe
Turbam inter solus, te sine, linquor ego.
Sole velut dempto nigrescunt omnia, sic, te
Dempta, hìc nil laetum, nil mihi nunc lepidum est;
Nil et erit, donec redeas. Quae te mihi reddet,
His me una e tenebris eximet orta dies.

CXVIII.

Se, Lyda moerente, Musis vacare non posse.

Quid tacitum increpitas? te moesta, Lyda, putas me
Posse hilarem cantus fundere laetificos?
Non, si me Ascraeo Phoebus pater incitet igni,
Castalio et mergat Calliopea lacu.
Vati sola potes tu ad carmina subdere calcar:
Lyda, tibi canto; Lyda, tibi sileo.
Riseris ut primùm, discusso turbine, cantus
Incipiet rursus haec mea Musa suos.

CXIX.

In senem coram Lyda turpia loquentem.

Turpe seni est, Glaucon, juvenari, ac digna suburra
Dicere lascivo verba pudenda joco;
Turpe, nec in coetu gratum hoc, ubi Lyda, pudoris
Feminei exemplum, rara puella, sedet.

Cui formam quamvis dederit Venus, atque leporem;
Ingenium et mores casta Minerva dedit.
Hanc laedis, non grata illi seu dicere tu scis,
Seu malè deceptus dicere grata putas.

CXX.

Quid sit, quo verè praestet femina.

Ingenio praestans, et praestans Gellia forma est,
Et praestans, aures quo tenet, eloquio.
Haec ego sic dici patior: sed femina praestans
Cum fertur, nequeo pol, mea Lyda, pati;
Atque tibi irascor, pleno quòd scilicet illam
Praestantem toties ore vocare soles.
Est quiddam, quod inest mirè tibi, quo caret illa,
Verè quo praestans femina conficitur:
Ingenium est ultra, formamque, et verba diserta,
Feminei generis gloria prima, Pudor.

CXXI.

De Lyda ab omnibus laudata.

Nil tibi non tribuo laudis, mea Lyda, vereri
Ut soleam, illudat ne mihi caecus amor.
Sed metus hic prorsum vanescit, cum tibi tota,
Quidquid ego tribuo, Roma simul tribuit;
Nec quisquam est, qui te norit modò, quin mihi certet
Multus virtutes tollere ad astra tuas.
Quare nec metuo, caeco ne illudar amore;
Et doleo, quòd nil dicere praecipuum
De te laudator possim tuus, omnia cum mi,
Dicere quae volui, praeripiat populus.

CXXII.

Cur toties Lydam laudet.

Cur Lydam toties dicam, Corvine, requiris.
Quòd, qualem volui, dicere non valeo;
Nec menti carmen respondet: multa volutat
Mens intus, carmen pauca sed evolüit.
Ergo instare operi cogor; si fortè labore
Assiduo possim, quod cupio, efficere,
Mirandam et seris Lydam proponere saeclis
Talem, Lyda meo qualis inest animo.

CXXIII.

Sibi pulcrum esse Lydam colere.

Abs te quòd nusquam dicor secedere, Lyda,
Non probrum id, laudem sed reor esse meam.
Pulcrum est, si placeo; pulcrum, gravis illa severae
Virtutis cultrix si mihi, Lyda, places;
Pulcrum, fama vetus de me si dixerit olim:
"Hunc Lyda in coetu est vivere passa suo".
Non omni credar cassus fortasse lepore
Vates, cui fuerit te penes usque locus.

CXXIV.

Se jussu Lydae carmen scribere.

Garrulus haud placui, tacitus fortasse placebo:
Id tentare juvat: Musa molesta, sile.
Sic mecum; et posui calamum; sed me mea Lyda
Impulit, ac ceptum pergere jussit iter,

Et nugas garrire omnes, et ludere, quae Fors
Obtulit, incultis omnia carminibus.
Conde, iterum spernat populus quae carmina: praestat
Quàm populo, Lydae, Musa, placere meae:

CXXV.

Ad Lydam de se, suisque carminibus:

Non mihi vesano flagrat mens icta furore,
Multus ab immodico nec tonat ore fragor:
Parrhasios inter vates hòc spernor et ipse;
Et mecum laudes, o mea Lyda, tuae.
Sed tamen haec, Grajo non prorsum cassa lepore;
Olim scripta leget si bona posteritas,
Dicar ego prisco ritu, Phoeboque favente,
Et Musis, laudes concinuisse tuas:
Tu clara Ausonias inter dicere puellas,
Digna mihi, saeclo sed meliore, cani:

CXXVI.

Laudat Lydam:

In Lyda, si, quae miror, scribam omnia, cogar
Non jam Elegos, longas scribere at Iliadas.
Ingenium ut, sanctos mores, et caetera mittam;
Praecipuum laudis quae meruere decus;
Forma, lepos, sessusque, statusque, et gressus euntis,
Quidquid agit rerum, quidquid et eloquitur,
Nil non laude scatet, nil non super aurea dignum est
Moeoniis ferri sydera carminibus:

CXXVII.

De Lyda feminarum praestantissima.

Ex quo Lyda mihi cepit notescere, cur tu,
Cur aliae haud placeant jam mihi, Polla, rogas?
Dic tu: se claro simul ac Sol extulit ortu,
Cur toto apparent sydera nulla polo?

CXXVIII.

Ad Clarissimum Poëtam (1) de Lyda.

Lyda mihi est unum carmen. Lydam mea certat
Musa domos caeli tollere in astriferas;
Qualis et est, talem seris ostendere saeclis,
Illius ignoret ne decus ulla dies. (mens,
Hoc opus, haec mihi cura: labat sub pondere sed
Nec par heu! magnis ausibus ingenium.
Tu fer opem, tu junge meis tua carmina, vates
Olim cantata clarus ab Euridice;
Te mihi, Sebethi linquentem flumina, quando
Fors bona Romanum huc attulit ad Tiberim.
Crede, una haec omnes longè anteit Heroinas;
Orphea haec longè dignior una lyra est.

---

(1) Credo, hunc esse Vincentium Corazzam Bononiensem, qui in Nuptiis Odescalchicis Poema scripsit, quod Orpheum nuncupavit, et apud Neapolitanos sibi domicilium comparaverat.

CXXIX.

De Lyda narrante.

Quid vox, quid vultus, possint oculique loquentis
Quid vis eloquii, Lyda; videre potest,
Audierit qui te fabellas ludere aniles;
Atque viros circum viderit excipere
Auribus arrectis nugas, et inania rerum;
Nunc subitam et risu prodere laetitiam;
Nunc terrore quati, verso et pallescere vultu;
Nunc moerore angi, non sine lacrymulis;
Et, quos nulla aetas tulerit, nec possit, opinor,
Ferre unquam, fictis casibus annuere:
Qui, si alio casus quovis narrentur ab ore,
Septennes, crèdo, vix teneant pueros.

CXXX.

Lydam mirificè et loqui et scribere.

Mirificè loqueris; scribis quoque, pol, mea Lyda,
(Veri sensus inest si mihi) mirificè.
Ergo ut praesentem nostra haec te suspicit aetas,
Ætas absentem postera suspiciet:
Carminibus fortasse meis et magna ferere;
Major sed scriptis ipsa ferere tuis.

CXXXI.

Ad Janum de Lyda.

Cultorum Lydae nulli te cedere dicis:
Hoc dicunt etiam, Jane, alii atque alii.

Nec miror: nullis non claram laudibus illam
Cuncti certatim, quàm pote quisque, colunt.
Hoc similes, alio distant: non omnibus aequè
Gaudet Lyda coli, queis solet usque coli.

CXXXII.

Laudat Lydam.

Cui videor nimiùm Lydae tribuisse, loquentem
Huc veniens Lydan audiat ille semel.
Mendacem et, patiar, nulli et credenda locutum
Me dicat, videar ni tribuisse parum.

CXXXIII.

Cur Lydam nolit diutius laudare.

De te jamdudum tacui, longùmque tacebo,
Olim perpetuum quae mihi carmen eras.
Nec tibi enim, quidquid scribo, mihi nec placet ipsi.
Judice me, nisu quolibet ingenii
Haud possum optatum veri contingere finem:
Judice te, verum, Lyda, supergredior.

FINIS.



523547

AMATORES

GRAECARUM . LATINARUMQUE . ELEGANTIARUM

RAPHAELI . RADEGLIAE

TEMPLI . MAXIMI . RHACUSAE . CANONICO

EXIMIO . BONARUM . ARTIUM . CULTORI

INEDITA

RAYMUNDI . CUNICHII

EPIGRAMMATA

PATRIAE

ET . REIPUBLICAE . LITERARIAE

GENEROSE . LARGIENTI

UNANIMES . PLAUDITE

B. STULLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Ραφ. Ραδέλια

Διὰ τὴν αὐτῆ φιλοπατρίαν καὶ πρὸς τυς ἑλλογίμυς πολίτας ἔυνοιαν.

Χαῖρ' ὦ Ραδέλιδη, σοι ἐπεὶ μέγα πατρίδος αἴης
Ἡμετέρης κῦδος, Κυνιχίυ τε μέλει.
Ζωοῖσιν τιμῆς μάλα καὶ κεχαρισμένος ἐσσὶ
Σῆς δ' ἕνεκεν σοφίης, σῆς δ' ἕνεκεν τ' ἀρετῆς:
Ἀλλὰ καὶ ἐσσομένοισι φιλήσεαι· ἕνεκα τάνδρος
Ἀγνῶτας κεῖθι ὐκ ἐάσας σελίδας:
Οὐ γὰρ Κυνιχίυ σελίδας τὰς δ' ἔμμεναι· ἔργον
Φαίης Μυσάων ἀλλ' ἔμεν ἀθανάτων.

N. Androvich.

VERSIONE.

Salve, o Radeglia, che onorato e caro
Per virtude e saper tra noi procuri,
Che dell' antica Patria ognor più chiaro
Risuoni il nome ai secoli futuri!
I carmi, che Cunichio in stil preclaro
Dettava, dall' obblio per te securi,
Sembrano inver', ed il lor pregio è tale;
Non d' uom, ma delle Muse opra immortale:

Digitized by Google

AD RAPHAELEM RADEGLIAM
Templi Maximi Ragusae Canonicum.

ELEGIA.

Valle sub Elysia transacti haud immemor aevi
  Volvebat laeto in pectore Cunichius
Mirantùm plausus hominum, musaeaque serta,
  Quae tulit ob versum plurima Maeonidem;
Quum deprompta suo pulcherrima carmina penu,
  Privatis quae olim liquerat in laribus,
Extemplo subiere animum; doctumque laborem
  Annorum longa nocte premi, indoluit.
Ast illi, umbra recens, tum Cancellerius ultro
  Adstitit, antiqua notus amicitia,
Et varios memorans casus, diversaque rerum
  Eventa, ad superos quae cecidere, suo
Cunichius postquam fato concesserat, omnem
  Texuit elapsi temporis historiam;
Narravitque tuos, praeclare Radellia, nisus,
  Queis erit, ut magni condita scripta Viri,
Expectata diu, veniant in luminis oras,
  Atque fluant latè dilata per populos.
Quod quum Romani lux audiit ille Lycaei,
  Ille Rhacusini gloria magna soli,
Attollens palmas, salve, o! mea Patria, salve,
  Clamavit: te non arguet ulla dies
Degenerem, tales nutris si provida Cives
  Aonidùm excultos artibus, et Sophiae,
Qui pulcro omnigenae flagrantes laudis amore
  Usque tuum certant sustinuisse decus!

D.r L. Stulli.

Digitized by Google

Eximio Viro

RAPHAELI CAN.° RADEGLIAE

RAYMUNDI CUNICHII EPIGRAMMATA

publici juris facienti.

EPIGRAMMA I.

Quòd non sumtu, idem non parcens, docte, labori,
Radelide, magni carmina Cunichii
Institeris vulgare, tibi tua Patria laudes
Et debet quantum est frugi hominum innumeras.
Si quis enim famae natorum consulat, unde
Claruit, et cunctis stant decora in populis
Ampla sibi, est Patriae gaudere: est velle bonorum,
Ne merces operi defuat eximio.

EPIGRAMMA II.

Carmina Cunichii properas dum tradere Famae,
Te celebrat cunctis urbibus Illyria.
Ast o! pro curis quantùm tibi plauderet istis,
Qui tam pulcri auspex jam tibi consilii,
Qui princeps suasit, ne tot patercre poëtae
Scripta boni indigno docta perire situ,
Nobilis ille auctor, Tuscae omnes doctus, et omnes
Romulidûm linguae mirificè veneres;
Ille tuus, quem fles, Raphaël dilecte, sodalis;
Quem raptum nunquam non ego flebo, meus

Unus amor, frater! (1) Jacet ille siletque! Sed almae,
Stant propter sacrum quae Charites tumulum,
Quae quidquid cuperet, quidquid sentiret, habebant
Compertum, in vita perpetuò comites
Illius, en adsunt, plauduntque, et fronde coronam
Plectunt, grande tibi munus, Apollinea;
Et, salve, o, clamant, quem Thomas noster amavit,
O decorum vindex inclyte Cunichii.

A. Chersa.

Eidem,

EPIGRAMMA.

Carmina tu Latiae scribis gratissima Musae;
Nostra tibi et plaudit, Radelide, Illyria.
Sancto idem illustrem in patriam succensus amore
Docta edis magni carmina Cunichii.
Felix! quippe omni memorari dignus in aevo
Insigni geminae laudis honore nites;
Quam tibi nimirum pariunt tua scripta, Poëtae
Quam clari addiderunt edita scripta tibi.

B. Albertini O. M.

---

(1) Thomas Chersa, Civis Ragusinus;

Quem Musa, et Sophia, et Charites luxere peremtum,
Cumque sorore Fides Justitiâ, et Pietas.

Obiit Rhacusae, in ipso aetatis laudisque flore, III. Id. Jun. An. MDCCCXXVI. agens An. XXXXIV.

Al Medesimo,

SONETTO.

Salve, Alcandro (1)! fra noi da te guidate
Le Attiche Grazie il dì veggono alfine;
Quelle, che dal Cefiso alle beate
Condusse Perelao (2) sponde Latine.

Le vide il Tebro, e rammentò l'etate
Prisca, ed il buon Catullo, le divine
Forme ammirando; e intanto del suo vate
Lieta cingea l'Arcadia i serti al crine.

Bello allor fu il veder fra i sacri allori
De' Parrasii recessi in ogni lato
Festose carolar Ninfe e Pastori!

Bello l'udir fra mille voci liete
Suonar "Ragusa"; e "egli a Ragusa è nato".
L'udir, che la Parrasia Eco ripete!

L. M.

(1) Nome Arcadico di Raffaele Radeglia.

(2) Nome Arcadico di Raimondo Cunich.

523547

Digitized by Google

Digitized by Google

523567

Digitized by Google

Digitized by Google